Maittaire M.

SENILIA,

SIVE

POETICA ALIQUOT

IN

ARGUMENTIS VARII GENERIS

TENTAMINA.

Pauca bona *hìc*, quædam mediocria, sunt mala plura.

MARTIAL. lib. i. Epigr. 17.

LONDINI,

Anno Salutis humanæ MDCCXLII.

11. 38.
126. 30.

AN ALPHABETICAL

LIST

OF THE

SUBSCRIBERS.

A

DUKE of St. Albans, *two Copies.*
Duke of Ancaſter, *two Copies.*
Duke of Argyle, *two Copies.*
Duke of Athol, *two Copies.*
Earl of Abington, *two Copies.*
Earl of Aileſbury, *two Copies.*
Earl of Arran, *two Copies.*
Biſhop of St. Aſaph, *two Copies.*
Hon. Richard Arundel *Eſq*; *two Copies.*
Thomas Allen *Eſq*; *ſix Copies.*
Joſeph Andrews *Eſq*; *ten Copies.*
John Anſtys *ſen. Eſq*;
John Anſtys *jun. Eſq*;
Rev. Mr. William Atkinſon.

B

Duke of Bedford, *two Copies.*
Duke of Bolton, *two Copies.*
Duke of Bridgewater, *two Copies.*
Duke of Buccleugh, *two Copies.*
Earl of Burlington, *four Copies.*
Lord Bathurſt, *two Copies.*
Lord Brook, *two Copies.*
Hon. James Brudenel *Eſq*;
George-Bridges Brudenel *Eſq*;
Rev. Dr. Barnard, *two Copies.*
Sir Robert Baylis.
Martin Bladen *Eſq*;
John Bamber *M. D.*
Thomas Bennet *Eſq*;
—— Blair *Eſq*;
Mr. Thomas Bradbury.
Joſeph Brandt *Eſq*;
William Burton *Eſq*;
Richard Burton *Eſq*;

C

Archbiſhop of Canterbury, *two Copies.*
Cardinal Corſini.
Earl of Carliſle, *two Copies.*

Earl

LIST of the SUBSCRIBERS.

Earl of Chesterfield, *two Copies.*
Earl Cholmondeley, *two Copies.*
Bishop of Chichester, *two Copies.*
Lord Carteret, *two Copies.*
Lord Clinton, *two Copies.*
Lord Conway, *two Copies.*
Lord Craven, *two Copies.*
Don Sebastiano Carvalho è Melho *Envoy Extraordinary from the King of* Portugal.
Sir Clement Cotterel, *two Copies.*
Rev. Dean Cotterel, *two Copies.*
Sir Nathanael Curzon.
Job-Staunton Charleton *Esq*;
Mr. Cornthwait.

D

Duke of Devonshire, *two Copies.*
Duke of Dorset, *two Copies.*
Earl of Darnley, *two Copies.*
Earl of Dysart, *two Copies.*
Bishop of St. Davids.
Bishop of Durham, *two Copies.*
Lord Delawarr, *two Copies.*
Lord Ducie, *two Copies.*
Rev. Sir John Dolben.
Pierce Dod *M. D.*
Late James Duglass *M. D.*
Thomas Dummer *Esq*;
Mr. Peter Debury.

E

Earl of Effingham, *two Copies.*
Baron de Erdt.
Late Sir Richard Ellys, *four Copies.*
Sir John Evelyn.
Rev. Mr. William Etaugh.

F

Earl of Finlater, *two Copies.*
Earl of Fitzwalter, *two Copies.*
Lord Foley, *two Copies.*
Hon. William Finch *Esq*; *two Copies.*
Henry Fagel *Esq*; *Secretary to the* States General.
Charles Fitzroy *Esq*;
Rev. Dr. Robert Freind.
Bryan Fairfax *Esq*;
Richard Frewin *M. D.*

G

Bishop of Glocester, *two Copies.*
Lord Gower, *two Copies.*
Signor John-Baptist Gastaldi *Envoy from the Republic of* Genoa.
Rev. Dr. Galley.
Rev. Dr. Green.
Charles Grey *Esq*;

H

Earl of Holderness, *two Copies.*
Bishop of Hereford, *two Copies.*
Lord Hardwicke, *two Copies.*
Lord Hobart.
Lord Higham-Ferrars, *two Copies.*

Baron

LIST of the SUBSCRIBERS.

Baron Haſlang *Envoy Extraordinary from the Emperor of* Germany.
James Haldane *Eſq*;
John Hampden *Eſq*;
Henry-Arthur Herbert *Eſq*;
Rev. Mr. Hotchkis.
Rev. Mr. Hunt.
Robert Hopwood *M. D.*

I

Earl of Ilay, *two Copies.*
Earl of Jerſey, *two Copies.*
Lord Ilcheſter.
Late James Joye *Eſq*; *four Copies.*
John Johnſon *Eſq*;

K

Duke of Kingſton.

L

Duke of Leeds, *two Copies.*
Earl of Litchfield, *two Copies.*
Biſhop of Litchfield, *two Copies.*
Biſhop of Landaff.
Baron Leibnitz.
Stephen-Martin Leake *Eſq*; *two Copies.*
Rev. Mr. Lye.
Mr. Latouche, *two Copies.*
Mr. Thomas Lally.

M

Earl of Macclesfield, *two Copies.*
Earl of Malton, *two Copies.*
Lord Manſell, *two Copies.*
Lord Montford, *five Copies.*
Lord Moreton, *two Copies.*
Lord Monſon, *two Copies.*
Lord William Manners.
Hon. John Mordaunt *Eſq*;
Rev. Dr. Mangey.
Dr. Mitchel.
Samuel Martine *Eſq*;
Valentine Morris *Eſq*;
Mr. Valentine Morris *jun.*
Mr. Joſiah Martin.
Mr. James Merrick.
Henry Munro *Eſq*;

N

Archbiſhop of Nazianzo *Monſigneur* Creſcenzi *Nuncio from* Rome *to his moſt Chriſtian Majeſty.*
Earl of Northampton, *two Copies.*
Biſhop of Norwich, *two Copies.*
Lord North *and* Guilford, *two Copies.*
Monſ. de Nariſchkin *Envoy Extraordinary from the Empreſs of* Ruſſia.
Rev. Dr. Nicols, *two Copies.*
Coſmus Nevil *Eſq*;

O

Earl of Orford, *two Copies.*

Earl

LIST of the SUBSCRIBERS.

Earl of Orrery, *two Copies.*
Late Earl of Oxford, *two Copies.*
Biſhop of Oxford, *two Copies.*
Chevalier Oſſorio *Envoy Extraordinary from the King of* Sardinia.
Hon. Arthur Onſlow *Eſq*;

P

Duke of Portland, *two Copies.*
Lord Viſcount Palmerſton.

Q

Duke of Queensborough, *two Copies.*

R

Duke of Rutland, *four Copies.*
Biſhop of Rocheſter, *two Copies.*
Lord Romney, *two Copies.*
Rev. Mr. Richardſon.
John Ranby *Eſq*; *two Copies.*

S

Duke of Somerſet, *two Copies.*
Earl of Sandwich, *two Copies.*
Earl of Shaftsbury, *two Copies.*
Biſhop of Salisbury, *two Copies.*
Sir Hans Sloane.
Rev. Mr. Seward.
Rev. Mr. Lewis Stephens.
Rev. Dr. Stukeley.
Coulſon Scottow *Eſq*;
John Searle *Eſq*;
Late George Short *Eſq*;
Thomas Smith *Eſq*;

T

Marquis of Tweedale, *two Copies.*
Earl of Thanet, *two Copies.*
Lord Viſcount Tyrconnell.
Rev. Mr. Tunſtal, *two Copies.*

U

Earl of Uxbridge, *two Copies.*
Baron Uterodt *Envoy Extraordinary from the King of* Poland, *two Copies.*
Rev. Dr. Vernon.
John Vaughan *Eſq*;
Mr. Paul Vaillant.

W

Earl of Winchelſea, *two Copies.*
Hon. Horatio Walpole *Eſq*; *forty-two Copies.*
Horatio Walpole *jun. Eſq*;
Sir Thomas Wheat.
Rev. Dr. Bernard Wilſon, *five Copies.*
Thomas Warner *Eſq*;
Mr. White.

Z

Signor John-James Zamboni *Envoy Extraordinary from the Landgrave of* Heſſe-Caſſel-Darmſtadt.

MICHAEL MAITTAIRE

VIRIS

ADMODUM REVERENDIS, NOBILIBUS, GENEROSIS,

Suorum SENILIUM

PATRONIS,

S. P. D.

NOVITATE gratâ, inquit * Flaccus, *morandus eſt ſpectator:* imò & auditor, inquam, & lector. Aures † Athenienſium ſolebant novis rebus delectari. *Vobis*, quoque, *Patroni Spectatiſſimi*, non ingratam fore ſpero hanc, quâ veſtros oculos moror, novitatem. Notum eſt omnibus & ſatìs frequentatum ſcriptionis genus; quod ſui ſcriptores ſolent vocitare *Juvenilia:* quæ ob ipſum titulum in pretio ſunt, neque quidem minimo: & ineſcant provocántque lectorum curioſitatem. Nonnulla ex his, premi ſanè quàm promi digniora, *Juvenilium* nomen merentur: quæ ‡ *juvenantur verſibus nimiùm teneris*; quorum inverecundiorem licentiorémque ſtylum ſeveri Catones averſantur. Veſter autem SENILIS cliens ſuæ verſuum farragini titulum prætendit infrequentem & à nemine hactenus (quantum poteſt memoriâ repetere) uſurpatum; at ſibi profectò accommodatiſſimum. Quid

* Art. Poet. verſ. 223. † Act. Apoſtol. xvii. 21.
‡ Art. Poet. verſ. 246.

enim

enim tractet *ſenex* ætati ſuæ convenientius, quàm *Senilia?* Æquum eſt (ut monet * Horatius) *partes* ætati cuilibet proprias *mandare*, & *in adjunctis ævóque aptis ſemper morari.* Porrò in his SENILIBUS nihil occurret exercitationibus, quod ſenis perſonæ non ſit conſentaneum; quod quemquam lædat; quod à quovis auſtero Catone reprehendatur; & honeſtum virgineúmque offendat Muſarum pudorem, quamvìs ad elegantem earum cultum aſpirare, & ad vim poëticam aſſurgere imbecilla nequeat ſenectus. *Quid itaque*, inquient Critici, *fœtus iſtiuſmodi informes & immaturos obtrudit luci, neque potiùs tenebris committit ſenex delirus & ad infantiam reverſus?* In ætatem culpam hanc transferet candidus lector: ſunt ſenes bis pueri; neque forſan à vero longè abfuiſſem, ſi appellâſſem hæc non *Senilia*, ſed *Puerilia.* Hæc demum, qualiacunque & quantulacunque ſint, Veſtris, *Patroni Literarum Magnanimi*, Nominibus fas ſit inſcribere, ſub veſtris emittere auſpiciis: veſtrum eſt ſenem debilem ſuſtentare; & id, quod veſtro hortatu patrocinióque fretus ſuſcepit, auctoritatis veſtræ præſidio tueri. Valete, VIRI HONORIBUS ET MERITIS INSIGNISSIMI. Det Vobis DEUS OPT. MAX. longam & proſperam annorum ſeriem, ut Reſpublica ſub veſtro principatu vigeat, & perennet Literaria.

Ex Muſeolo.
CIↃ.IↃCC.XLII. Non. April.

* Art. Poet. verſ. 177, 178.

Ævo

Ævo languida debilíſque longo
Muſa, ne mea prorſus otietur,
Artes ad veteres ſtudet reverti;
Deſuetámque diu chelyn reſumit.
Sed fruſtra ſtudet: eſt inepta, & expers
Leporum, ſalis, elegantiarum.
Crudos parturit, aſperos, inertes,
Una quos (utì * Martialis inquit)
Emendare poteſt litura, verſus.
Diſplicet ſibi tota: pœnitétque
Effœtum his calamum admovere nugis,
Quæ magìs viridem decent juventam.
Nihil ſcribere nónne præſtitiſſet,
Hunc quàm ſuſcipere irritum laborem?
Sed quum Nobilibus Viris placere,
Qui patrocinio ſenem tuentur
Poëtam, mihi contigit; dehinc non
Totus diſpliceo mihi: ſeniles
Mihi ipſæ incipiunt placere nugæ.

* Lib. iv. Epigr. 10.

Ad Nobilem Virum Dnum Johannem Carteret, Primarium Regni Secretarium; Generoſiſſimum Horum *Senilium* Fautorem.

AUSPICIIS Schola Reginæ fundata, benigno
Quondam nos eadem foverat alma ſinu
Artibus hæc quæ Te Puerum formavit honeſtis,
Dat mihi Patronum præſidiúmque ſeni.
Diſpare ſorte uſi, ſtudiis aſſuevimus îſdem:
Téque mei memorem conciliavit amor.
Nos Schola junxit: & officiis jungamur uterque;
Sis Tu Patronus ſemper, egóque cliens.

SENILIA.

POETICA ALIQUOT TENTAMINA.

CREATIO.

GENES. cap. i.

NATURÆ genitor DEUS, una & ſumma Poteſtas,
Immortali ævo pollens; in luminis oras
Quo ſinè nil fuit exortum; genitalia rebus
Corpora materiémque dedit: nutûque creatum
Terraï cœlíque orbem conſiſtere juſſit.
Tellus formæ expers fuit, indiſcretáque moles;
Lucis egens chaos, & vacuum: tǫtámque profundi
Coôperuere ſuperficiem per inane tenebræ.
Incubuit motu vitali Spiritus undis
Divinus; maſſámque fovens animavit inertem.
LUX FIAT, DEUS inquit: Lux enata repentè
Diſcuſſit nigras radiis ſplendentibus umbras.
Numini opus placuit ſuum: & æquo limite lucem
A tenebris ſecrevit, ut officium utile præſtent
Alternis orbi vicibus; lucémque *Diei*,
Et tenebras proprio diſtinxit nomine *Noctis*.
Conſtituere *Diem* veſpérque & manè *Priorem*.
Porrò ne molem labefactet corpus aquarum,
Si totum coëat nullo diſcrimine; firmam

Compagem expandit, *Cœlum* cui nomen: & undas
Infernas vetuit ſuperis miſcerier undis.
Conſtituere *Diem* veſpérque & manè *Secundum.*
Tum ne, ſi confuſa locis ſibi ſæpius îſdem
Occurſent, nimiam cieant humentia pugnam
Cum ſiccis; cœlo ſubjectas juſſit in unum
Confluere Æquor aquas, emergere juſſit ab undis
Siccam congeriem: hanc *Terram,* hoc *Mare* nomine dixit.
Hunc Pater omnipotens terræ orbem noluit eſſe
Nudum & inornatum: produxit fertile gramen
Juſſa ſinu omniparente; genus tunc arboris omne
Enixa eſt, vario & varios de ſemine fœtus.
Tertius, hic veſper, manè hoc, fuit *ordo Diurnus.*
Lucida in expanſo ſed nondum corpora cœlo
Fulgebant; diſpertirent quæ tempora noctis
Atque *diê, tempeſtatum ſpatia omnia, & annos,
Et menſes; in diſperſas quæ, lampadum adinſtar
Multarum, terras radios procul evibrarent.
Lumina bina DEUS cœlo ſuſpendit in alto;
Majus, ut imperium face colluſtrante diurnum,
Et *Minus,* ut regeret nocturnum; ignéſque micantes
Stellarum addidit: alterno hôc moderamine lucem
Cura DEI ſapiens ſubjecto præbuit orbi.
Conſtituere *Diem* hunc Veſpérque Auroráque *Quartum.*
Digna manu Artificis jam ſtabat machina mundi:
Sed ponto deerant, deerant animalia terris.
Quò lux vitalis, niſi ſit, quod luce fruatur?
Quò fruges, ſi naſcantur nullius in uſum?
Edixit DEUS ergo, nihil qui condidit unquam
Fruſtra; *undæ gignant animalis corpora formæ,
Quæ per ſe poſſint vitales edere motus.
Aëra concelebrent liquidum genus omne volucrûm.*
Dixit: & in pelago cœpere immania cete

* *Diê* pro *diei.* Virgil. Georg. 1. 208. *Servius.*

Volvier

Volvier; affatim gens infinita natantum
Occupat & maria & fluvios. His, *Creſcite*, dixit
Numen; *aves piſcéſque avidè ſua ſæc'la propagent.*
Conſtituere *Diem* hunc Veſpérque Auroráque *Quintum.*
Vocibus alituum ſonat aër; piſcibus unda
Cedit: nullus adhuc uni fuit incola terræ.
Noluit hoc Opifex rerum: juſsítque feraci
Prodire è terrâ omnigenos fœtus animantum.
Quadrupedes, jumenta, feras, reptilia tellus
Alma dat; ut ſylvas, montes, & rura frequentent.
Nulla fuit regio propriis animalibus orba.
Attamen his deerat ratio regiménque: nec ullum
Inventum eſt dignum imperio; cui cætera turba
Pareat, & latè rerum tradantur habenæ.
Sanctius his Animal, DEUS, *& perfectius*, inquit,
Signatum noſtrâ fingamus imagine, mente
Et ratione potens; dominari in cætera dignum,
Ac reliquum cohibere genus rationis egenum.
Sic ait: & madidæ ſumptum de pulvere terræ
Molle lutum in carnem & nervos ſolidatur & oſſa,
Juſtâ & membrorum in miram compage figuram
Creſcit; & illapſâ divinæ particulâ auræ
Per nares, intus moles agitante caleſcit
Numine corporea. Ad cœlum ſua lumina tollit
Natus Homo; erectóque DEUM Artificem ore fatetur.
Ipſe DEUS formato homini benedixit: &, *Ingens*,
Accipe, ait, *quacunque hujus patet ambitus orbis,*
Et maria, & terras, volucres, piſcéſque, feráſque;
Atque ſinu quicquid rerum Natura capaci
Continet; hoc, cœlo quod ſubjacet, accipe; totum
Imperiis permitto tuis: fruges tibi dædala tellus
Sponte dabit; dum bruta animalia gramine paſcet.
Conſtituere *Diem* hunc Veſpérque Auroráque *Sextum.*

Oratio, nis, quam Judas ad Joſephum fratrem habuit, Paraphraſis.

GENES. xliii. 16.

O cui Rex Pharius rerum commiſit habenas,
Arbitrio cujus regitur Nilotica tellus;
Da famulo veniam fandi: verbíſque precantum
Supplicibus facilem præbe placabilis aurem.
Ne, precor, obducat frontem ardens ira verendam;
Frontem, quâ ſimilem te novimus eſſe Pharoni.
Nos (meminiſti etenim, mentémque oblivia fallunt
Nulla tuam), *creti quo ſanguine*, dicere juſſi,
Numquis adhuc pater aut frater, reſponſa roganti
Hæc tulimus Domino: *Cananæâ gente profectos*
Dira venire fames huc emptum alimenta coëgit;
Patre uno genitos; *cui longa paravit honorem*
Annorum ſeries, & *circùm tempora cani.*
Eſt frater minimus, defunctâ matre ſuperſtes,
Deliciæ patris, extremæ & ſpes ultima vitæ.
Alter & heu! frater fuit.—Ah lachrymabile fatum!
Funere ni juvenem caſus merſiſſet acerbo,
Non multùm, Dux Celſe, tuis diſtaret ab annis.
Sic nos: hæc contrà nobis mandata reponis.
Ite: illúmque ad me fratrem deducite, coràm
Siſtite; *ut aſpectu illius mea lumina paſcam.*
Dura quidem, ſervis ſed juſſa capeſcere fas eſt;
Verùm implere labor. Quis patri avellere pignus
Tam charum velit, aut poſſit? cui nempe, carendum eſt
Si puero, pueróque ſimul vitâque carendum eſt.
Has, reſpondiſti, *ambages mihi mittite: nunquam*
Huc, niſi paretis, veniendum eſt rurſus. Abite:
Me, niſi frater adeſt, iterum ſpes nulla videndi.
Interea è vobis unus retinebitur obſes:

Veſtra

Veſtra mihi dubitata fides ; aliquémque latere
Suſpicor errorem ; mea ſtat ſententia, veſtram
Explorare fidem hôc tentamine. Juro Pharonis
Auguſtum caput : ullam ſi deprendero fraudem,
Vos ſpeculatorum dabitis mihi nomine pœnas.
His nos. *Eſto* DEUS *teſtis, ſi nectimus ullos*
Arte dolos ; ea non noſtræ eſt fiducia genti,
Cui totas fregit famis inclementia vires :
Nec, ſi ſors miſeros, mendaces improba finxit.
Purgare incaſſum nos conabamur : eundum.
Paruimus : ſaccos frumento oneravimus. Ah ! cur
Fas pepuliſſe famem fuit, & non pellere crimen ?
Triſtia narramus reduces mandata parenti.
Horreo adhuc meminiſſe ; ut tu, quaſi fulmine tactus,
Hæc vultu attonito, fandíque experte dolore,
Audieris, miſerande Senex : ut, pectore luctum
Haud ultrà ingentem capiente, oculíſque ſolutis
In fletus, tanquam exiret jam ſpiritus ore
Ultimus ; & medias crebro impediente querelas
Singultu : gemitus in verba hæc ruperis altos.
Poſt exantlatos mihi tot tantóſque labores,
Has ſeram ad pœnas Numen Cœleſte reſervat
Canitiem ! vivens morior : mea viſcera, prolem
Extinctam cerno annoſúſque & inutilis. At vos,
Vos me de vobis meritum meliora parentem
Orbâſtis. Joſephus abeſt, immitibus inſons
Præda feris : cohibent Simeonem vincula captum,
Quem non aſpicient iterum mea lumina. Et ille
Parvulus, & tener, & ſolamen dulce ſenectæ,
Eripitur patriis hærens amplexibus ; unum
Quem poſt Joſephum enixa eſt ſua mater : adempti,
Poſcitur, ut fratris funus comitetur ; eâdem
Matre olim geniti ut fato fungantur eodem.
Quàm gravi in emeritum ferientis turbine cœli
Detonat ira caput ! Senio num debile, languens

Corpus non potuit niſi multo vulnere ſolvi?
Eſto: meas ſortes, Tibi, qui regis Arbiter unus,
Sic viſum eſt. Sequor—Et conantem dicere plura
Linguam deficiunt verba intercluſa gementi.
Nos animum ſenis alloquiis relevare jacentem
Nitimur: hic venis alit inſanabile vulnus;
Hunc Benjamini ventura abſentia torquet.
At tandem poſtquam frumenta abſumpta fuiſſent,
Cœpiſſétque fames violentior eſſe; paramus
Huc reditum. Quis tum conjecerit, acriùs angat
Utra, fames natíve abituri cura, parentem?
Illìc ægra novo terrorum fluctuat æſtu
Mens ſenis. Et, *quorſum hæremus, Pater optime?* dixi.
Longæ augent mala noſtra moræ: ſpes una ſalutis
Solo in fratre ſita eſt nobis; vanóſque ſinè illo
Tentamus reditus; eat, aut moriamur, oportet.
Ne tamen hæc tibi lex videatur iniquior; audi
Jurantis mea verba: Deus *ſit teſtis; & ultor,*
Si, quam præſto, fidem acciderit mihi fallere. Dextræ hunc
Trade meæ: hunc eadem ſalvum tibi dextera reddet.
Sic quum lucta diu mentem diſtraxerat anceps
Suſpenſam, & variis impulſam affectibus; utram
In partem inclinet, dubiam; ſedare tumultum
Aggredior ſenſim verbis, natíque tenacem
Expugno ratione patrem: qui denique, quanquam
Invitus, nolénſque volénſque, *Reſiſtere feſſo*
Non licet ulteriùs; Benjaminum accipe, dixit,
Méque avelle mihi. Quid pars moror altera noſtrî,
Non æquè charus, non integer? Ibimus & nos,
(Nam ſic decretum eſt) ô Benjamine; ſupremum
Carpere iter tecum, præeas utcunque, parati.
Sume meum, Juda, natum: mea viſcera ſume.
Si triſtes anima heu! pueri deſcendat ad umbras,
Hunc ſequar; & mea pallentes deſcendet ad umbras.

Fœdere quis certo dubitet natíque patríſque
Conſentire dies; & ab uno fata duorum
Senſibus arcanis concordia ſidere duci;
Tanquam anima in geminum ſe dividat unica corpus?
O Ægyptiacæ Dux prudentiſſime gentis,
Si repetam natale ſolum; incolumémque reverſus
Non reddam, mihi quem commiſſum debeo, fratrem;
(Quod DEUS avertat! ne te ſic, Patria, cernam;
Patria grata aliis, mihi deteſtabilis uni!)
Quo vultu aſpiciam, quóve alloquar ore parentem!
Quanto horrore animum ferient hæc verba parentis!
Perfide, Benjaminus ubi eſt? Ubi dextra fidéſque?
I, fuge conſpectus noſtros; pete, proditor, antra;
Téque feris comitem adde, feris immanior: & qui
Jurantem audivit, perjurum ulciſcitor idem.
Exul agam potiùs per mille pericula vitam,
Quàm reducem ſinè fratre meo me patria cernat!
Deliciis quando orba ſuis, confoſſa dolore,
Atque malis per me genitoris fracta ſenectus
Occidet ante diem, & conſperget pulvere canos;
Quò tunc vita mihi, letho * lethalior omni?
Quot crucibus fidei violatæ conſcius angor
Sontem animam aſſiduè torquebit! Nocte diêque
Ante oculos vigiles quatiens patris umbra flagellum,
Et Benjaminum repetens, infenſa ſequetur.
Perfidiæ reus has pœnas mortíſque paternæ
Exolvam: méque, acto hôc infeliciter ævo,
Triſtior excipiet majorum ſcena malorum;
Vermis non moriens, & neſcia flamma remitti.
Ergo tuis pedibus ſupplex advolvor: & oro
Per (ſi forſan habes etiam) fratrémque patrémque,
Fratri ignoſce meo, annoſi miſerere parentis:
His utrumque malis (nam tu potes) exime. De me

* Comparativus de induſtriâ confictus.

Decernas,

Decernas, quodcunque velis: hoc deprecor unum;
Ne violare fidem cogar, patríſque ſupremum
Accelerare diem. Judex æquiſſime, cauſam
Juſtam oro: ſum ſponſor ego pro fratre, ſacróque
Obſtrinxi me jure vadem; teſtémque vocavi
Hunc, cujus Numen nemo unquam impune fefellit.
In te igitur quicquid frater deliquerit, in me
Devotum converte. Eat ille; ego juge manebo
Mancipium: illi infirmior eſt; mihi fortior ætas,
Apta jugo. Servare fidem (dos optima ſervi)
Ingenti me ſcire probo diſcrimine. Sic me,
Sic ſervire juvat: felicia vincula; fratris
Quæ libertatem rediment, vitámque parentis.

Davidis in Sauli & Jonathani morte Threnodia.

2 Sam. i. 19.

GRANDE tuis Decus, Iſrael, in montibus altis
Occidit. Heu! quantâ Fortes periere ruinâ!
Nunciet infamem Getthæis perfuga nullus
Cladem; Aſcaloníſque per impia narret acerbas
Compita publicitus ſtrages: audita puellis
Ne Philiſtæis dent infortunia cauſam
Lætitiæ; incircumciſâ & de gente choreis
Quælibet exultans de nobis virgo triumphet.
Gilboæ montes; pluvio non imbre, nec ullo
Veſtra, precor, madeant inviſa cacumina rore.
Tellus nunquam ullas ſacra in libamina fruges;
Gramina nulla, Deo quam poſtulat ara, bidenti
Præbeat. Iſraelis enim videre ruinam
Veſtri inhoneſtam apices: ſcutum videre potentum
Turpiter abjectum; ſcutum ah! lachrymabile Sauli.
Sauli ibi procubuit (* ſpectac'lum triſte!) cadaver,

* Sic *Orac'lum* apud Catull. carm. lxii. 326.

Plebeii

Plebeii vilíſque inſtar: nec profuit illi,
Quòd caput unxiſſent latices regalis olivi.
Jonathane; ecquando, hoſtili haud ſanguine tinctus
Et victor, rediit tuus arcus? Numqua ſagitta
Ex illo, incaſſum nec certa ferire, volavit?
Saule; tuus quando, cedendi neſcius, enſis
Antè, virûm pingui niſi paſtus cæde, redivit?
O patriæ Saulus Jonathanúſque dolentis
Gloria priſca ſuæ! Dum vita ſuperſtes, amorem
Promeruere: eadem hora & ineluctabile fatum
Abſtulit heu! junctos. His non velociùs alas
Explicuere aquilæ; aut magìs invaluere leones.
Sed quò vis animi pernix? Quò bellica virtus?
Quid ſibi non voluit campi fortuna licere!
Aſſiduis lacrymis, Iſraelitides orbæ,
Invigilent oculi: nec Regis funus adempti
Flentibus ulla dies, neque det nox ulla quietem.
Lugete ô memores, ut veſtrum purpura corpus
Ornârit; quales, dum Sauli regna manerent,
Deliciæ adfuerint: religabat fibula veſtem
Aurea; cingebant pretioſa monilia collum.
In bello quantâ fortes periere ruinâ!
In celſis mihi te rapiens cur barbarus hoſtis,
Jonathane, locis ſocialia fœdera rupit?
Jonathane, tuum, mi frater, ſentio vulnus:
Quóque tibi telo, fixum eſt mihi pectus eodem.
Nil unquam mihi te jucundius obtigit uno:
Noſtræ animæ plùs, quàm conjux cum conjuge, junctæ;
Fœmineos & noſter amor ſuperavit amores.
Heu! quàm probroſâ fortes periere ruinâ!
Arma heu! quàm diro ceciderunt bellica fato!

Equi Ecphraſis.

Job xxxix. 19.

ANNE ſuam[a] vim fortis equus te dante recepit?
Fulmineíſne jubis armâſti colla? Levéſne
Hunc[b] docuiſti agilis [c]ſaltus æquare cicadæ?
Non poteris tamen hunc inſtar terrere cicadæ.
Fumanti[d] qui terror adeſt, quæ gloria nari!
Ungula[e] humum cavat: atque pedum veſtigia valli
Calcatæ incutiunt ſolidè defixa tremorem.
Exultat proprio ſubnixus robore: [f]pectus
Adverſis inferre ſuum cupit obvius armis.
Ille metus omnes, [g]ſtrepitum vocéſque minantum
Subjiciens pedibus, nullo terrore movetur.
Stricti enſes hunc terga retro non vertere cogent.
Invia nulla via eſt: ſcutum huic pharetrámque ſonantem
Oppone & rutilantem haſtam; imperterritus ibit,
Et perrumpet, iter quicquid præcludit eunti.
Frendenti rabie, & ſpumanti percitus írâ,
Carpit[h] humum quaſſans: tanquam [i]conſumere vellet,
Quos plantâ pernix tranſcurrit præpete, campos.
Pugnæ avidus, putat æs ſe vix audire canorum.
Neſcit[k] ſtare, ſimul ſignum exaudita dederunt
Claſſica: & [l]arrectas non intrat gratior aures,
Quàm [m]litui, ſonitus mixtus clangore tubarum.

Inflari

[a] *Lucret.* III. 8. fortis equi vis. [b] *Hebr.* an eum moveri faciès—*ſenſum, quem interpretes hìc afferunt, duplicem exprimere conatus ſum. Confer Anglicam verſionem; & Bochart. de Animal. P.* I. *l.* ii. *c.* 8. [c] *Vir. Æn.* XI. 600. inſultans ſonipes. [d] *Georg.* III. 85. collectúmque premens volvit ſub naribus ignem. *Nemeſian. Cyneg.* ℣ 248. fumant humentes calidâ de nare vapores. *Ovid. Halieut.* ℣ 66. generoſus honos & gloria major equorum. [e] *Virg. Georg.* III. 87. cavátque tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula cornu. *Ovid. Halieut.* ℣ 73. conculcátque ſolum ungula. [f] *Ibid.* ℣ 53. *(de leone)* adverſis infert ſua pectora telis. [g] *Virg. Georg.* III. 79. nec vanos

Inflari cœpit quamprimùm buccina, clamat
Evax[n]; lætitiam hinnitu teſtatus acuto.
Eminus inſtantem pugnam [o] præſagit odorus:
Quum clamore ducum hinc, hinc plauſu militis, altum
Se geminans, veluti tonitru, ferit æthera murmur.

Metaphraſis PSAL. CIV.

In vertendo hôc Pſalmo, qui in ſublimi genere eſt, & inter primos cenſetur; Viri docti complures ſuam operam, neque quiſquam fæliciùs quàm Buchananus, poſuerunt. Ego quoque ſequi illorum veſtigia, non ſanè æquandi, nedum ſuperandi ſtudio, ſed ſtyli tantùm exercendi gratiâ, conatus ſum. Textui imprimis Hebraïco adhærendum ratus, vim ſingularum vocum obſervandam duxi; nihil prætermittendum, quod non (quoad poſſem) exprimeretur; nihil adjiciendum, quod non ad ſenſum quadantenus explanandum conduceret. Voces ſimplices obviáſque & proprias magìs, quàm ſonoras turgidáſque, adhibui, de pompâ iſtâ ſpecioſâ poëtis plerumque familiari minùs ſollicitus: quippe qui rem per ſe ſatìs ſublimem & ornatam nititur aliunde augere & ornare, nihil aliud agere videtur, quàm ejuſdem dignitatem deprimere, & faciem formoſam fuco & pigmentis illinere. Curavi, ut verſuum Hebraïcorum diſtinctioni Latina reſponderet verſio: & quicquid ipſis Textûs Hebraïci verbis admiſcere me coëgit metrorum ratio & junctura, diverſo & (quem vocant) Italico charactere imprimeretur.

℣ 1. LAUS celebranda DEI eſt, Anima. *Expergiſcere: Vires*
Me decet in tantum totas intendere munus.
Te, DEUS, excelſum longè ſuper omnia tollit

vanos horret ſtrepitus. [h] *Stat. Theb.* IV. 216. quaſſat humum. [i] *Nemeſian. Cyneg.* ℣ 239. latúmque fugâ conſumere campum. *Virg. Georg.* III. 142. carpere prata fugâ. ℣ 103. campum corripuere. [k] ℣ 83. tum ſiqua ſonum procul arma dedere, ſtare loco neſcit. *Ovid. Metam.* III. 704. Fremit acer equus, cùm bellicus ære canoro Signa dedit tubicen, pugnæque aſſumit amorem. [l] *Lucan.* IV. 750. ſonipes motus clangore tubarum Saxa quatit pulſu—ſpargítque jubas, & ſurrigit aures. [m] *Virg. Georg.* III. 182. primus equi labor eſt animos atque arma videre bellantum, lituóſque pati. [n] *Exultandi particula, apud Plaut. Menæch. Act.* I. *Sc.* ii. ℣ 18. [o] *Plin. Hiſt.* VIII. 42. Iidem [*equi*] præſagiunt pugnam.

Majeſtatis apex: ambit te culmen honoris
Perpetuum, & *latè dominantis* gloria *vultûs*.
2. Te *circumfulgens radianti* veſtit amictu
Lux: velut aulæum, extendis laquearia cœli.
3. *Subjectis* in aquis ſublimia tigna *palatî*
Conſternens; *volucri* ceu curru, nubibus *altè*
Inveheris, venti inſiſtens *pernicibus* alis.
4. *Inſervit natura tibi.* Tua juſſa miniſtri
Ventorum flatus atque ignea flamma capeſſunt.
5. *Omnipotens* fundamentis tua dextera terram
Fixit; & immotam *juſſit* perſiſtere *molem*.
6. Hanc *ſuper effusâ tellurem* amicivit abyſſo:
Texere & *tumidi* montana cacumina fluctus.
7. *At*, *ſimul* increpuit tonitru *metuenda coruſco*
Vox tua, confeſtim refugi *cœpere remitti*.
8. *Cœperunt* montes *paulatim* aſſurgere: & *imam*
Juſſæ in planitiem *ſenſim* ſubſidere valles.
9. *Sic omnis pelagi deſæviit ira: fuerunt*
Undæ ipſis poſitos vetitæ tranſcendere fines;
Et torrente vago vicinas mergere terras.
10. Plurimus exoritur fons in convallibus: *unde*
Rivi inter colles manant *utrinque ſupinos*.
11. *Convenit* ex campis animantum *huc* turba *propinquis*;
Huc onagri: *lymphâque* fitim compeſcere *gaudent*.
12. *Aeriæ* juxtà lectâ ſibi ſede volucres
E ramis *liquidas* voces *umbrantibus* edent.
13. Depluet in montes cœlum: fructûque tuorum
Fœta operum pleno *fruges dabit* ubere tellus.
14. Terra *parens* gramen brutis animalibus *eſcam*
Præbet: in humanos *eadem* herbam *ſufficit* uſus;
Eque ſinu panem *fœcunda* educit *opimo*;
15. Lætificos vini latices, *qui* pectora *mulcent*;
Liquentis ſuccos, *queis* vultus ſplendet, olivi;
Panem, *qui* cordis *reficit*, firmát*que* vigorem.

16. Arbo-

16. Arboribus dias *latè ſpargentibus umbras*
Et Libani, *tua quas* plantavit *dextera*, cedris
Succum præbet humus: ſatiatæ *humore ſub auras*
Attollunt capita, atque occultant æthera ramis.
17. Alituum *genus omne ſuos* ibi ponere nidos;
Abietibus *celſis* habitare ciconia *geſtit.*
18. *Quærere perfugium cupiunt* in montibus altis
Damæ; in ſaxoſis *latitare* cuniculus *antris.*
19. *Tu* ſtata fixiſti lunæ, *ſtata* tempora *ſoli:*
Luna vices peragit certas; orbémque diurnum
Emenſus, ſcitè Heſperias ſol vergit ad oras.
20. Inductis tenebris, ſuccedit *opaca diei*
Nox: *luſtris* prodire *ſuis* armenta ferarum
Audent, & per agros ſaltûſque *impune vagari.*
21. It leo prædatum, *complens nemus omne* rugitu:
Atque DEUM *clamore fremens* ſua pabula poſcit.
22. Sol *tenebras fugat* exoriens: fera quæque cubile
Conſuetum petit, & reddit ſua membra quieti.
23. *Manè* homines ad opus ſurgunt; *ſolitóſque* labores
Continuant, donec *noctis* redit heſperus *index.*
24. Quanta tuæ, DEUS, & quot ſunt miracula dextræ!
Quanta apparet in his ſapientia! *quanta poteſtas!*
Quas effundis, opum tellus eſt plena tuarum.
25. *Seſe terrarum* ſpatioſi margine longo
Porrigit oceani latè *circumfluus* humor:
Permeat hunc *quorum* proles diverſa, *natantûm*
Non variæ ſpecies numerari *aut nomina* poſſunt.
26. Per mare *vento actæ* naves *velíſque* feruntur;
Atque interpoſitæ jungunt commercia terræ.
Formâſti cete; *atque immania corpora ponti*
Cætera, *diverſo quæ* findunt æquora luſu.
27. Cuncta tuo *vitam* ſub nutu animalia *degunt*;
Expectántque ſuo, quem des ſibi, tempore victum.
28. Te dante accipiunt *alimenta:* manúmque *benignam*
Cùm viſum eſt aperire, bonis ſaturata *foventur.*

29. *Si-*

29. *Si quando irato* avertis tua lumina vultu,
Ilico conſternata pavent: & ſpiritus artus
Deſerit; intereunt, *funeſto* pulvere merſa.
30. Spiritus *his* redeat *ſi* te mandante, redibit
Vita: & *ſe* tellus *mirabitur alma* renaſci.
31. Stat tua, ſumme DEUS, nullo delebilis ævo
Gloria: lætus opus luſtras, quodcunque creâſti.
32. Tu potes aſpectu *ſolo* quaſſare *trementem*
Terram; & fumantes contactu *abſumere* montes.
33. Non, mihi quàm longæ ſupereſt pars ultima vitæ,
Lingua tuas unquam ceſſabit dicere laudes.
34. Sint tibi, *quas* laudes meditor *perſolvere*, gratæ:
Gaudendíque author mihi ſis, *authórque canendi.*
35. *Quicunque à recto* pietatis devius errat
Tramite, diſperiens *cœleſtem ſentiet iram:*
Dum mea mens *mecúmque* fidelis turba piorum
Te colet, atque tuos hymnis celebrabit honores.

PSALMUS CXXXVII.

SEDIMUS acclives ripis Babylonis, oborto
Ora humectantes fletu: triſtéſque ruinas,
Chara Sion, recolendo tuas, ſuſpendimus illìc
Nablia de ſalicum (quondam vocalia) ramis.
Concinite, inſultans qui nos abduxerat hoſtis,
Unum, aït, *ex illis aliquem ſolennibus hymnum;*
Quos ſoliti eſtis, adhuc arx dum ſtetit alta Sionis,
Cantare: & vanos paulùm intermittite fletus.
Solennes hymnos ergo cantabimus? hymnos
Audiet ergo DEO ſacros exotica tellus?
Abſit! Et antè ſuæ capiant oblivia dextram
Artis, quàm patriæ capiant oblivia mentem:
O Solyme! Si quando tui fuero immemor, imo
Hæreſcens fari dediſcat lingua palato:
Gaudia reſtituas, Solyme, niſi priſca reſurgens.

O DEUS, immites, precor, O! reminiſcere natos
Stirpis Idumææ: qui, quando illuxerat ater
Funeſtúſque dies Solymes, horrendo ululatu
Clamârunt; *æquate, æquate ſolo omnia; tecta*
Nudate; ipſa urbi nec fundamenta ſuperſint.
O utinam veniat! veniet, niſi fallimur, hora;
Quum flebis verſam, Babylonis Filia, ſortem.
Talibus, ô fœlix, meritis quicunque rependens
Præmia juſta, tuas cum noſtris cladibus æquet.
Matris ab amplexu, fœlix, quicunque tenellos
Infantes rapiat; ſaxíſque illidat acutis.

PSALM. CXLVI. 3, 4, 5.

Ex * Malherbii Gallicis.

PROMISSIS, Anima, humanis confidere noli.
Lux mundi vitrum eſt; favor hujus mobilis unda,
Quam nunquam patitur fera vis conſiſtere venti.
Vana iſthæc valeant: incerta nec uſque ſequamur.
Debetur cui vita, DEO debemus amorem.
Spem fruſtra ignavi plerumque fovemus inertem,
In regum infidis vitam dum perdimus aulis;
Captantes heu! ſola genu ludibria flexo.
Quod poſſunt, nihil eſt: eadem mortalis origo
His fuit & nobis; nos, hos manet exitus idem.

* N'eſperons plus, mon Ame, aux promeſſes du monde.
Sa lumiere eſt un verre; & ſa faveur une onde,
Que toujours quelque vent empeſche de calmer.
Quittons ces vanitez: laſſons nous de les ſuivre.
C'eſt DIEU, qui nous fait vivre;
C'eſt DIEU, qu'il faut aimer.
En vain pour ſatisfaire à nos laſches envies,
Nous paſſons prés des rois tout le temps de nos vies;
A ſouffrir des mépris, & ployer les genoux.
Ce qu'ils peuvent, n'eſt rien: ils ſont, comme nous ſommes,
Veritablement hommes;
Et meurent, comme nous.

Efflârunt

Efflârunt animam? Quid erit, niſi pulvis & umbra,
Majeſtas faſtúſque ferox, vultúſque ſuperbus:
Qui rapido attonitum quaſi fulgure terruit orbem?
Inque altè extructis, ubi adhuc inflantur inani
Pompâ animæ, tumulis præbet caro vermibus eſcam.
Grandia diſpereunt ibi nomina. Quære ſequeſtros
Pacis: ubi domini terrarum: ubi fulmina belli?
Nullus adulator; nam nulla his ſceptra: cadúntque
Unâ fortunæ domini famulíque ruinâ.

Ont ils rendu l'eſprit? Ce n'eſt plus que pouſſiére,
Que cette majeſté ſi pompeuſe & ſi fiere;
Dont l'éclat orguilleux étonnoit l'univers:
Et dans ces grans tombeaux, ou leurs ames hautaines
Font encore les vaines,
Ils ſont mangez des vers.
Là ſe perdent ces noms, de maiſtres de la terre,
D'arbitres de la paix, de foudres de la guerre.
Comme ils n'ont plus de ſceptre, ils n'ont plus de flateurs:
Et tombent avec eux d'une chute commune
Tous ceux, que leur fortune
Faiſoit leurs ſerviteurs.

Triumphale de Babyloniæ Rege Carmen.

Isai. xiv. 4, uſque ad 23.

QUOMODO vitali ſpoliatur luce tributi
Exactor, noſtri prædo inſatiabilis auri?
Confregit Dominus ſceptrum virgámque tyranni:
Virgam; quâ gentes irarum concitus æſtu
Jugiter afflictas, nullo cohibente, premebat.
Exuto nunc terra jugo requieſcere tandem
Cœpit; & antiquos mutare in jubila queſtus.
Exultans abies Libaníque in vertice cedrus
Lætitiam teſtantur: &, *Ex quo ſterneris*, aiunt,
Non huc aſcendens noſtrum lignator honorem
Decuſſit: nullam perpeſſa eſt ſylva ſecurim.

Adventu

Adventu turbata tuo, inſolitóque tremore
Concuſſa infremuit ſedes inferna; tuóque
Attoniti occurſu Manes ſtupuere: potentum
Excitæ è ſoliis Umbræ regum, agmine facto,
Te circumſtantes hâc illuſere loquelâ:
" Téne etiam, te, quem ſpes ambitioſa fefellit,
" Deficiunt vires? Te, nos, manet exitus idem?
" Pompa, effulgebas modò quâ ſublimis, ad imas
" Dejicitur fauces Erebi noctémque profundam:
" Atque ubi feſtivi mulcebant aëra cantus,
" Succedunt gemitus triſtes & flebile murmur.
" Infame abſumit putredo lurida corpus;
" Et præbent artus tabentes vermibus eſcam.
" Quàm celeri in terram cecidiſti, Phoſphore, lapſu;
" Filius Auroræ, cœlo detruſus ab alto:
" Sub ſævâ cujus gemuere tyrannide gentes!
" Sic tibi plaudebas tacito ſub pectore, dicens:
Terras, mortali major nunc ſorte, relinquam.
Aſcendam cœlum: liquidúmque per aëra vectus
Sydera ſubjiciam pedibus, ſoliúmque locabo
Excelſum; & quâ pars borealior eminet axis,
Sacro in monte, ſedens figam veſtigia; nubes
Aſcenſu ſuperabo altas; ſtabo arduus inter
Cœlicolas, princépſque Deóque *ſimillimus ipſi.*
" Quò tumidi faſtus abiere, oríſque prophani
" Grandia verba? jaces: atque irremeabilis orci
" Infima te regio tenet; æternúmque tenebit.
" Membra tui quiſquis turpi ſqualentia tabo
" Corporis aſpiciet propior; ſub mente revolvens
" Attentâ humanáſque vices & vindice digna
" Numine ſupplicia, has promet de pectore voces:
Hiccine Vir; nutu qui terram & regna ſuperbo
Concuſſit; totúmque orbavit civibus orbem;
Æquavítque ſolo ſuffoſſis mœnibus urbes;
Perpetuóque ſuos captivos carcere clauſit?

" Non reges reliqui caruerunt mortis honore:
" Quorum quæque ſuis in ſedibus oſſa quieſcunt.
" Talis honor tibi non dabitur; qui ſanguine gaudens
" Per terram populóſque tuos cladéſque necéſque
" Sparſiſti aſſiduas vivus: dabis, improbe, pœnas
" Mortuus; inviſum conculcandúmque cadaver
" (Cæſorum velut exuviæ, vel inutile lignum)
" Projicietur humi, alitibúſque feríſque vorandum.
" Nec ſatìs unus eris in pœnas: impia proles
" In partem veniet, morti devota futuræ.
" Nati exſcindentur; ſcelerati crimina patris
" Quos fecere reos: orientur ſtirpe nefandâ
" Nulli, qui ſervent noménve locúmve, nepotes.

CHRISTI Natalium Hiſtoria.

EX LUC. ii. 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17.

Oda variis ſtropharum generibus conſtans.

PASTORUM excubiæ dum vigilum cavent,
Ne ſint fortè lupis præda rapacibus
Bethlemi per agros roſcida gramina
Tondentes ovium greges;
Extemplo emicuit ſplendor ab æthere,
Se per rura vibrans undique lumine
Inſueto. Attonitos acer ovilium
Paſtores tremor occupat.
Unus de numero Cœlicolûm, DEI
Qui juſſa obſequio præpete perferunt,
Illorum ante oculos adſtitit; & bono
Mulſit pectora gaudio.

Corda, Paſtores, trepidare ceſſent:
Cœlitus mittor; jubeórque grata
Nuntius vobis dare & univerſæ
Gaudia genti.

Hôc

Hôc die humanam columen ſalutis
Induit CHRISTUS *Dominus figuram;*
Urbe in hâc natus, priùs unde David
Sumpſerat ortum.
Signa, ne ſitis dubii, docebo.
Faſciis infans jacet involutus:
Sordidum præſepe capit tenella
Membra puelli.

Sic paſtorum animos excitat Angelus:
Cujus ſe lateri Cœlicolæ ſtatim
Plures agglomerant; inſtituunt choros,
Plauſus ingeminant; poli
Concentu vario perſonat ambitus.
Paſtores avidis auribus imbibunt,
Quod nunquam audierant, æthereum melos:
Et ſecum taciti ſtupent.

Somnio? Hic inquit, *vigilóne? Quanto*
Deſuper cœli ſonuere plauſu!
Quàm repentinâ irradiatus æther
Luce refulſit!
Audio, cerno vigil. Angelorum
Cantibus cœtus mihi mulcet aures.
Audio. Lætis modulantur unà
Vocibus hymnum.

" Locis in altis ſit ſua NUMINI
" Rerum potenti Gloria: Pax beet
" Telluris orbem; ſit Benigna
" Erga homines hominum Voluntas.

Gloriam demus, dare cui jubemur.
Pace quid majus meliúſve poſſit
Cœlitus mitti, aut animo benigno
Inter amicos?
Anne, quæ ſpondet chorus Angelorum,
Tanta ſperemus bona? Viſitabit

An DEUS *terras hominum, futuri*
Muneris auctor?
Angelus quò nos jubet, ad propinquam
Ire Bethlemi properemus urbem:
Geſtio, nobis data quæ fuerunt,
Signa tueri.

Urbem petentes inveniunt recèns
NATUM, & parentes. Omnibus obviis
Ubique gaudent, viſa noctu
Quæ fuerant ſibi, nuntiare.

CHRISTI Natales.

GENTIS humanæ, Superûmque Rector
NUMINI *humanam* ſociat *figuram:*
Séque naturam (Nova res!) utramque
Jungit in uno.
Cœlitum Princeps jacet imbecillus:
Et DEO VERBUM genitum Parente,
Sed DEO non poſterius Parente,
Naſcitur infans.
Omnibus ſæc'lis prior, hôc ſuorum
Tempore orditur numerum dierum:
Et ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΣ patitur minuto
Corpore claudi.
Quem nec immenſi capit Aula cœli,
Nec capit terræ ſpatioſus orbis;
Faſciis vinctum capiunt pudicæ
Virginis ulnæ.
Migrat in cunas humiles REDEMPTOR,
Poſſit ut gentem relevare lapſam;
Quam ſuo infecit veterum reatu
Culpa parentum.

NUMINIS

NUMINIS nati manifeſta terris
Signa dat cœlum: tenebras repentè
Diſcutit noctis medio coruſcans
Æthere ſplendor.
En! polum cingens, hilaríque cantu
Perſonans auras, chorus Angelorum
Mutuo plauſu celebrare cunas
Certat heriles.
" Gloria in cœlis ſua ſit perennis
" NUMINI: tellus potiatur almâ
" Pace; concordes animos Voluntas
" Jungat Amica.
Ite, Paſtorum pia turba: Summus
Natus eſt Cuſtos ovium, unus idem
Agnus & Paſtor; duplici paratus
Munere fungi.
Deſuper fulgens nova ſtella ſpargit
Prævium terris jubar in remotis:
Quo * *ſalutis juſtitiæque* SOLEM
Nunciat ortum.
Tres Magi, ſtellâ præeunte ducti
Per maris tractus & inhoſpitales
Per vias, ſiſtunt iter in loco, cui
Stella ſuperſtat.
(Ornat hos † regum titulo vetuſtas)
Offerunt nato tria dona REGI:
Thus hic, & myrrham ille dat, atque fulvum
Tertius aurum.
Eſt Sacerdoti proprium, eſt Prophetæ
Munus, eſt Regi: officiúmque triplex
Præſtat; eſt nobis triplici colendus
Nomine CHRISTUS.
CHRISTE; Rex, Vates mihi ſis, Sacerdos:
Des, tuis culpæ meritis pientur;

* Malach. iv. 2. † Eſai. xlix. 7.

Me

Me tuam legem doceas; tuo me
Dirige ſceptro.
Fac; meam poſſim renovare vitam;
Quódque commiſſum fuit, aut omiſſum
Perperam, emendem; videárque tecum,
CHRISTE, renaſci.

Gethſemane, ſive Χειτὸς ἀγωνιῶν.

HUC oculos converte pios; animâque fideli
Cerne tremens, quantum ſcena hæc tibi ſiſtet agonem
Certatum à Chriſto: qualem de gente creatâ
Nemo, animi valido quantumvis robore fultus,
Ferre queat; quali totum ſuccumberet uni
Humanum Angelicúmque genus. Patet ordine longo
Exantlandorum ſeries horrenda laborum:
Diráque panduntur necis inſtrumenta futuræ.
Triginta addictum nummis caput; oſcula Judæ;
Sputa ſacrum turpi muco aſpergentia vultum,
Impactíque genis colaphi: plebíſque tumultus
Veſanæ, inſontem plecti, ſolvíque latronem
Vinclis damnatum, magno clamore jubentis.
Innocuas nodis ſtringentia vincula palmas:
Scommata; confictíque inſignia ludicra regni;
Geſtandi manibus ſceptri vice, vilis arundo;
Injecta & radians ridendo murice veſtis;
Auguſtam circùm frontem, diadematis inſtar,
Spinea ſerta; genûque maligna opprobria flexo.
Flagra ictu tenerum immiti ſulcantia corpus:
Dein portanda infame humeris crux lignea pondus.
Hactenus infandæ præludia tetrica ſcenæ.
En montis funeſtus apex; clavíque trabales
Infixi manibus pedibúſque; erecta ſub auras
Machina feralis; maledictâ ex arbore corpus

Inter latrones pendens; admotáque labris
Spongia aceto & felle madens ſitientibus; imum
Tranſadigens cuſpis latus: inter mille dolores
Corporis atque animi, quos mens comprendere neſcit,
Pallenti egrediens ſupremus anhelitus ore.
Miſcuit hunc calicem Nato vindicta Parentis
Siccandum ad fæces; hoc * torculare premendum
Præſtituit: cæſo, qui non deliquerat, Agno
Humani voluit generis delicta piari.
Illarum Chriſtus perculſus imagine rerum,
Omnem præſentit cruciatum & mortis acerbæ
Lugubrem pompam: his anima intus ſaucia telis
Jam patitur, quæ mox paſſurum eſt ſingula corpus.
Attonitam immanis mentem circumvenit horror:
Haud aliter quàm qui luctantem morte propinquâ
Certat agens animam; extremóque in margine vitæ
Stans tremit, & duro expirat confectus agone.
Sudor ſemianimes exundans perfluit artus;
Sanguineus ſudor: vis hos immenſa dolorum
Exprimit è venis miros ſalientibus imbres.
Hanc niſi nocturnæ ſcenam caliginis umbræ
Velâſſent, ſolem voluiſſe oſtendere terris
Non ſua crediderim trèmefactum lumina: Chriſto
Deliquium patiente, caput texiſſet; Heríque
Acres atratâ luxiſſet fronte dolores.
Penè impar oneri natura Humana ferendo
Ingenti, quamvìs Divinæ unita, fuiſſet:
Adfuit at ſuperâ huic demiſſus ab arce Miniſter;
Qui vires foveat, conſoletúrque jacentem.
Chriſtus pronus humi, ubertim manante per ora
Fletu, grumoſum toto exſudante cruorem
Corpore, ab oppreſſo ſuſpiria pectore ducens,
His tandem haud ultrà toleranda ſilentia verbis
Rupit; & ad Patrem has effudit corde querelas.

* Iſai. xliii. 3.

O Pater!

O Pater! æternis olim si fixa refigi
Decretis possent rerum momenta; salutis
Si quod opus cœpi, edomitisque laboribus ipsam
Perduxi ad metam, humanæ permitteret, illud
Clarum & grande Deóque opus uno vindice dignum;
Fortè, calix à me transiret ut iste, precarer.
Despumans quo selle calix! in quo æstuat iræ
Ultio Divinæ; atque hominum peccata; reatus
Tot scelerum, haud aliâ, quàm nostrâ, morte piandus.
Sed tibi, sancte Parens, sic visum est: nostra voluntas
Sit submissa tuæ. Sic, sic juvat ire sub umbras;
Et mercari hominum magnâ mercede salutem.
Sic fatus, placidè Patris mandata capessit.

Ad Divum Lucam pictorem; ut Crucifixum pingat.

ANACREONTIS imitatio.

ΑΓΕ μοι, ἄειτε Λυκᾶ,
Γεάφε μοι παθόντα Χειτὸν
Θεᾶ ὑὸν ὐλογητοῦ,
Ὁμοούτιον τεκόντι·
Ἀκίχητον, ἄχρονόν τε·
Φύτεως ἄναρχον ἀρχώ.
Ὃς ὑπὲρ βροτῶν ἑαυτὸν
Ἐκένωτεν *· ἠδὲ μορφὼ
Λάβε, δοῦλον ὥτε· ζάρκα
Ἐνέδυτ', ὑπήκοός τε
Θανάτυ ἕως ὑπῆρχε.
Τὸ ᾧ τίς δυώαιτο ϑάμβος
Γεαφὶς ἀξίως χαράξαι;

Τίς ἐς ὕψος ἐρανοῖο
Νόος, ὥτε † Παῦλος, ἀρθεὶς
Καταλαμβάνειν δυώαιτο;
Τὶς Ἀπελλέης δυώαιτο
Ξύλῳ ἐμπαγῆτα τωτῆρος
Θεᾶ Ἄμνον εἰκονίζειν;
Ἄγε μοι, ἄειτε Λυκᾶ·
Δυώῃ αὐτὸν ἐκλυπῶται,
Βίον δ' ἔχυτι βίβλοι
Ὑπὸ σεῖο ζυγγεαφεῖται.
Γεάφε μοι ϑανόντα Χειτόν·
Μετέωρον ὑψόθεν γῆς
Ἐπὶ τωτῆρι ἐκλαθέντα.

* Phil. ii. 7, 8.

† 2 Cor. xii. 2.

Κεφαλῶ

Κεφαλῶ γεάφ' ὀξέῃτι
Στεφανωμάτων ἀκάνθαις·
Διδύμας τε χεῖρας ἥλοις
Τελοῃμύας, πόδας τε·
Δόρατός τε πλυτρὸν αἰχμῇ
Διανοιγμόν ἀπλοῦτ·
Ἀπὸ τραυμάτων κελαινὸν
Πολαμὸς χέοντας αἷμα·
Ἀπὸ τραύματος ᾧ πλυτρᾶς
Ῥέον ὕδατ' αἷμα μιχθέν.
Γεάφε ῥῖνα νῷ παρειὰς
Τά τε χείλη ὠχριῶντα·
Κεκυφὸς κάτω κάρηνον·
Ὅλον ἀδτενὲς τὸ σῶμα.
Γεάφε βλέμμα μετὸν ἄλυς,
Γεάφε βλέμμα μετὸν ὕψος·

Ἐν ἀγῶνι σάντα Χριτὸν,
Ἐν ἀγῶν' ὅμως κρατοῦντα.
Γεάφε, κἂν δυώαιο, ψυχὴν
Ὀδυώτι συμπλακεῖταν·
Ὀδυώτιν, ἃς καλειπεῖν
Τίς Πίταται λογιτὴς,
Τίς Πίτα νοῆται;
Ὀδυώτιν, αἷς πιτθεὶς
Μεγάλῃ βόητε φωνῇ·
ΤΙ ΜΕ ΚΑΛΛΙΠΕΣ, ΘΕΟΣ ΜΟΥ;
Γεάφε συμπαθοῦντα Κτιτῇ
Μέγαν ἡμέρης ὁδηγὸν,
Φάος οὐκ ἔχοντα· πᾶταν
Ἐπὶ γῆν χότῳ χεδαττέν.
Ἐπίθες τε ῥῆμα τοῦτο·
Θάνε ΠΑΝ, ὁ ΠΑΝ Σεβατός.

Humanæ Vitæ brevitas.

EX SAPIENT. SOLOM. v. 9, 10, 11, 12, 13, 14.

ΖΩΗ ἡμετέρα χιῇ ἔοικεν·
Ὥττε ἀγγελία ϑαλερέχυτα·
Ναῦς διερχομένη ὕδωρ ϑαλάττης·
Ἧς, ὅταν διέβη, μὴ ἐτὶν ἰχνεῖν
Ἰχνῷ, οὐδ' ὀνὶ κύματτιν μέτοιτι
Ἀτραπὸν πόντῳ· πλέυξι κυφαῖς
Ὡς διϊπλαμένη λέλοιπεν ὄγκος
Οὐδὲν τέκμαρ ἐν αἰθέρ' ἧς πορείας·

Ὡς βληθέντος ἐπὶ σκοπὸν βελέμνου
Ἀὴρ τέμνεται, εἰς ἑαυτὸν ἀλλὰ
Εὐθέως ἐπανέρχεται, καὶ αὐτοῦ
Οὐ βλέπειν διοδον ταχεῖαν ἀκμὴ
Ὀφθαλμοῦ δυώσαι. Βίος μοὶ ὅτως
Σπεύδει ἐκ γηρετῆς ἕως τελευτῆς·
Ὡς πάχνη ὑπὸ λαίλαπος βιαίου,
Ἢ ὑπαὶ ἀνέμοιο χὼς διωχθείς·
Ὅμοιος μονοημέρῳ ὀδίτῃ
Ἡμῖν ὠκύμορος πέφυγμαι αἰών.

De eâdem.

ÆTAS præcipiti rotatur axe.
Scit ſervare locum nihil; diéſque
Diem trudere proximus peractum,
Annum annus properat: juventa florens
Debilem citò tranſit in ſenectam.
Vitæ particulas quis at fugacis
Collocat bene? tempus otioſum
Quis ſemper meminit ſibi imputari?
In hâc dum traho valle lachrymarum
Paulum, quod reliquum eſt, fluentis ævi;
Tempus præteritum reduco: quantum
Temporis periit mihi, revolvo.
Heu! quantum periit mihi dierum!
Quantulum appoſitum eſt lucro dierum!
Si diſcriminet albus hos, & ater
Illos calculus; obſtupeſco, cernens,
Quanto ater numeroſior ſit albo.
Septem annis decies modò peractis,
Emenſa eſt mea vita * præſtitutos

* Pſalm. xc. 10.

Limites: ſupereſt ſeni quid ultrà
Sperandum mihi, nî labor dolórque?
  Hactenus ſapui minùs: †DEUS det,
Ut poſthac numerum meorum inire
Perdiſcam ſapientiùs dierum:
Dum veſci æthereâ licebit aurâ;
Dum ſum corpore ſanus atque mente,
Nec me calculus & podagra torquent;
Donec venerit hora, quâ migrabo
Illuc, unde nefas pedem referre.

Quàm feſtinato volvuntur tempora motu!
  Horam urget præceps hora, diéſque diem.
Heſternis inſtant ſpatiis mox craſtina: præſens
  Sentio vix ullum hæc inter & illa dari.
Inter præteritam ætatem incertámque futuram,
  Quando mihi miſero dicere, Vivo, licet?
Momentum, quod abît, doleo non poſſe reverti:
  Mentem angit, quod erit, ſpéque metûque meam.
Diſtrahitur variis mea vita affectibus anceps:
  Alternántque dolor ſpéſque metúſque vices.
Quod genus hoc vitæ, interruptam ducere vitam,
  Et nunquam vitæ munere poſſe frui!

Ex D. Auguſtin. Meditat.

HANC ſi quis bene comparare lucem
  Cœleſti velit, utra præſtet; iſta eſt
Terminata loco, brevíque clauſa
Semper tempore, & impedita noctis
Alternis vicibus: ſuperna ſed lux
Non finita locíve temporíſve
Clauſtris, noctibus involuta nullis.
Brutorum genus omne vermiúmque

† Pſalm. xc. 12.

Luce, quâ fruimur, pari fruuntur:
Sed quâ cœlicolæ fruuntur, illa
Lux eſt purior, & caret tenebris.
Si conferre velis utramque lucem;
Quid lux hæc, niſi nox & umbra mortis?

Ex Thom. à Kemp. lib. i. c. 1.

TE duce, Chriſte, viam ingrediar: Tu dirige greſſus;
In tenebras ne me ſeducat devius error.
Da mihi, Chriſte, tuæ conformem degere vitam:
Sit tua, quâ nulla eſt præſtantior, unica morum
Doctrina exemplar deinceps & norma meorum.
Ingenium quibus eſt ſubtilius, atque facultas
Amplior; immergant ſeſe in myſteria: fruſtra
Conentur TRIADEM humanæ comprendere mentis
Senſibus. Has ego Divinarum accedere partes
Rerum non auſim. Sed Te ſubmiſſus adoro,
Sancta TRIAS: ſit ſola mihi ſapientia, NUMEN
Infinitum oculis fidei cognoſcere; captum
Quæ ſuperant humilem, ſectari dogmata mitto.
Quid ſophiæ arcanos juvat explorare receſſus,
Tótque per ambages obſcuras quærere verum?
Quid prodeſt animæ tam vana ſcientia, quâ ſe
Per longum torquet ratio ambitioſa laborem?
Te ſolum, Te, CHRISTE, ſciam: mihi cætera ſordent;
Quæ mundus ſtupet, & tumidorum turba ſophorum
Diſcipulos docet, & cum pompâ jactat inani.
Mundi hoſpes diſcam contemnere ludicra mundi.
Angat me nec opum nec honorum cæca cupido:
Néve diuturnè plùs, quàm bene, vivere curem.
Pertæſus miſeram ætatem, quæ ducitur inter
Mille metus, & mille pericula, mille dolores;
Non lucem extremam formidem; gaudia cœli
Præguſtem: ex triſti valle hâc exire paratus,

Quum mors grata ſuperveniet; quæ vincula ſolvat,
Expediátque animam luctantem è carcere fœdo
Corporis, ut repetat patriam, à quâ duxerat ortum.
Quiſquis es, externis fidens qui ſenſibus ardes
Amplecti, objiciunt quæcunque oculíve vel aures;
Sis memor, *expleri non poſſe oculóſve vel aures
Viſis auditíſve. Quid ergo explere laboras,
Quod nequit expleri? Quorſum his confidere gaudes,
Qui te fallaces falſis deludere certant
Semper imaginibus? Sapias: & vera ſequaris
Gaudia, quæ nunquam ludunt, æterna; piis quæ
Pollicitus DEUS eſt, qui falli & fallere neſcit.

†CLEPSAMMIS.

ANTE oculos dum ſtat Clepſammis vitrea; labens
Dinumerat vitæ tempus arena meæ.
Labuntur, lapſu viſum fallente, foramen
Grana per exiguum; more fluentis aquæ.
Sic horæ, curſu ſenſum fallente, diurnæ
Aufugiunt; remorâ nullâ inhibente fugam.
At renovant, vitrum quoties invertis, arenæ
Lapſum; & eam pergunt, quam priùs, ire viam.
Ætatis momenta meæ, quæ lapſa fuerunt,
Emenſum nunquam regredientur iter.
Ad metam tendunt veſtigia; nulla retrorſum:
Et vita incauto non redimenda perit.
Det DEUS, ut, quoniam redimi lux perdita neſcit,
Ex ullâ ſtudeam perdere luce nihil.

* Eccleſ. i. 8.

† Κλέψαμμις vox conficta ex κλέπτειν & ἄμμος; ut κλεψύδρα ex κλέπτειν & ὕδωρ.

A SAND-

A SAND-HOUR-GLASS.

Engliſh'd by the Reverend Mr. *Thomas Seward.*

BEFORE me plac'd the Hour-dividing-glaſs
Shews, how of life the fleeting minutes paſs.
As thrô the latent track th' inceſſant tide
Of trickling atoms undiſtinguiſh'd glide;
Thus hours and days ſteal unobſerv'd away:
Nor e'er will life admit one moment's ſtay.
But turn the glaſs, the ſands renew their flow;
And thrô the path they went, again they goe.
My ebbing ſands of life ſtill onward haſte:
But ne'er repaſs the goal, they once have paſt.
Downward my footſteps tend, nor ever riſe:
And time miſpent without redemption dyes.
Since hours then loſt I've to redeem no pow'r;
Grant Heav'n, I loſe no moment of one hour.

De nimiâ Somnolentiâ queritur.

MORPHEU, ſoporis arbiter,
Vecors parens inertiæ;
Cur lentus obruis meos
Ingrato ſenſus otio?

An noctis horas integræ
Non abſtuliſſe ſufficit?
Lucis partem negotio
Cur deſtinatæ ſurripis?

Seníne, quod relinquitur
Adhuc ævi pauxillulum,
Id invides, maligne fur
Meorum Somne temporum?

Dum noctis umbræ tranſeunt,
Tanquam ſepultus, dormio:
Momenta languens tranſigo
Diurna ſemimortuus.

Sed nolo, Somne, conqueri:
Mortis præbes imaginem;
Meæque vitæ curſui
Inſtare metam nuncias.

Monente te, mortis memor,
Mortem perhorreſcam minùs:
Et præſtolabor ultimum
Haud imparatus terminum.

JESU

Jesu, ſalus fidelium;
Cùm ſomnus iſte lethifer
Occludet nocte perpete
Fores meorum luminum;
Te, Christe, per tuam crucem
Oro; mihi des poſt brevem
Hujus vitæ caliginem
Perenni luce perfrui.

Morbo periculoſo laborantis ſupplicatio.

JEsu Christe, meæ ſalutis Author,
Ad Te pando manus, premente morbo,
Feſſas deliquio auferente vires.
Suſtentes animam metu trementem
Mortis, quam mihi ſentio propinquam.
In quâ crimina noſtra diluiſti,
Spem Crux anchora fulciat fluentem.
Antequam ultima nox meos ocellos
Claudens imperet hinc abire; dicas,
Jesu Christe, animæ; *Tuus Redemptor*
Sum, delicta tuæ remitto vitæ.
Dictâ pace mihi, lubens obibo.

Alia, inſtante morte.

Æterne rerum Conditor;
Audire digneris preces:
Quas promit imis ingemens
Peccator ex præcordiis.

Sub mole preſſus criminum,
Mœrore acuto percitus,
Pudore confuſus, timet
Levare ſurſum lumina.

Salvator orbis perditi,
O Christe, Rex fidelium;
Cujus cruor fuſus fuit
Salute pro mortalium;
Ignoſce peccatis: reus
In te repono ſpem meam;
Tuúmque pronus ad thronum
Imploro ſupplex gratiam.

Jam vita curſu lubrico
Pervenit ad metam: vigor
Defecit; & languor piger
Artus ſolutos corripit.

Jam tempus eſt, ad pulverem
Revertar ut pulvis: tremens
Expecto, dum mors ultimum
Ponat diebus terminum.

Manu

Manu labantem ſuſtine,
Timore ne fractus cadam:
In mortis horâ protege,
Ne territus deſpondeam.

Suprema ſed cùm venerit
Lux, quâ reſurgent mortui;
Ut actionum computum
Reddant ſuarum Judici;

Cùm * bina, quæ regunt diem
Noctémque, luminaria
Fulgere ceſſabunt; ſuis
Stellæ cadent ex orbitis;

Æſtu cùm mundi machina
Fervente diſſipabitur;
Casûque concuſſæ gravi
Cœli poteſtates ruent;

Archangeli † cùm buccinâ
Citatus ante millibus
Cinctum tribunal angelis,
Adſtabo vultu pallidus;

Cùm teſte conſcientiâ
Convincar; heu! quanto metu,
Quantóque pectus anxium
Horrore diſtorquebitur!

Te, CHRISTE, per mortem tu-
Cujus dolores aſperi (am;
Nec ore poſſunt exprimi,
Nec mente poſſunt concipi;

Obteſtor, ut me liberes:
Sit provocare fas mihi
A Judicis ſententiâ
Ad Judicis clementiam.

ΚΥΡΙΕ, ΕΛΕΗΣΟΝ.

ΧΡΙΣΤΕ, ΕΛΕΗΣΟΝ.

Ad Cœleſtem Polyhymniam Oda.

Ex ALCAÏCIS & SAPPHICIS mixta.

DESCENDE cœlis, ô Polyhymnia;
Noſtræque mentis ſenſibus influe:
Docéque nos Numen Supremum
Harmonico celebrare verſu.

Fundavit orbes omnipotens DEI
Quum dextra, terram ponderibus ſuis
Librando, pendentémque molem
Aëre circumeunte cinxit;

* Matth. xxiv. 29, 31. 2 Pet. iii. 10, 12. † 1 Theſſ. iv. 6. 1 Cor. xv. 52.

Divina

Divina quando Vox chaos horridæ
Noctis removit; Lucis & igneum
Almæ jubar prodire juſſit,
Et radiis penetrare mundum;

Dedere * ſtellæ, te, Polyhymnia,
Docente, teſtem lætitiæ ſuæ,
Symphoniam: plausûque feſto
Exiluit Chorus Angelorum.

Orta res inter prior ô creatas
Clara Lux, ſalve. Tua, CHRISTE, *ſedes*
Lux † *inacceſſa eſt:* DEUS *ipſe gaudet*
‖ *Nomine Lucis.*

Quâ nocte natus Virginis utero
Noſtram Redemptor ſumpſit imaginem,
Ut Dæmonis lapſum rebellis
Fraude malâ repararet orbem;

Modos dediſti Tu, Polyhymnia:
Quibus Cohortes æthera Cœlitum
Mulſere plaudentes; DEIque
Nati humiles cecinere cunas.

Gloriam Summo canimus Parenti;
Gloriam Nato: tibi gratulamur,
Terra, quam tandem reducis beabunt
Munera pacis.

Cœleſtis Aulæ gaudia prædicet
Quæ lingua! Quis fons eloquii fluens!
Humana concepiſſe quæ mens
Nulla poteſt acie ſagaci.

Id ſola poſſes; nam, Polyhymnia,
Tu ſola nôſti, cantica quot DEO
Indefinenti voce cœtus
Innumerus ſonet Angelorum.

* Job xxxviii. 7. † 1 Tim. vi. 6. ‖ 1 Joh. i. 5.

Laus, honor PATRI, *decus & poteſtas*
Detur; & NATO: *ſimiles Utrique*
SPIRITUS *manans ab Utroque ſumat*
SANCTUS *honores.*

Nos ſuâ dextrâ GENITOR *creavit*;
Sanguine effuſo GENITUS *redemit*:
FLAMEN & *nobis Utriuſque* SANCTUM
Munera ſignat.

Voce ſolenni ter Apoſtolorum,
Ter Prophetarum pia turba, térque
Martyrum clamat legio triumphans;
* SANCTE TRI-UNE.

Angeli clamant ſimul, † HALLELUIAH;
Et Beatorum Chorus, HALLELUIAH;
Tota conjunctim ſonat, HALLELUIAH,
Regia Cœli.

Carmina Genethliaca.

Ad RUTLANDIÆ DUCEM.

XXI. Octob.

GRATIOR cunctis mihi Lux diebus,
Annuis te ſol ſpatiis reviſit.
Menſtruis quàm te ſpatiis placeret
Poſſe reverti!

* Aliter non potui hymnum, quem Eccleſiaſtici Scriptores vocant τελσάγιον, exprimere. † Si cui diſplicuerit vox Hebræa, quæ Græcè redditur Ἀλληλεϊα, propter longam vocalem metri causâ correptam; reponendo Αἴνῳ ONTI, neque quantitatis neque metri ratio violabitur. Heſychii authoritate ſum fretus; Ἀλληλεΐα, αἴνῳ τῷ ὄντι Θεῷ· αἰνεῖτε ἢ Κύριον. Si etiam *Sancte Tri-une* non admittatur, reponi poterit; Εἷς ἅγιος τεὶς, vel Ὢν ἅγιος τεὶς. Porrò Θεὸς vocatur Ὤν, Exod. iii. 14. ἐγώ εἰμι ὁ Ὤν.

Nulla

Nulla caligo nebulæque nullæ
Aëris frontem maculent ſerenam:
Ore teſtetur ſua ſed renidens
Gaudia cœlum.
Hunc diem lætis celebrent frequentes
Cantibus Muſæ: comitantibúſque
Gratiæ Nymphis per amœna ducant
Rura choreas.
A * *Situ Bello* quibus *Arx* vocata
Cingitur, pagi reſonent: ſuíque
Pro Ducis vitâ cumulent coloni
Æthera votis.
Vocibus junctis repetant *Johannis*
Nomen auguſtum, bona comprecantes:
Reddat & voces habitans propinquis
Montibus Echo.
Audiat clemens pia vota NUMEN;
Quæque voverunt, rata firmet: & quod
Supplices fauſtum ſumus auſpicati,
Compleat omen.
Publicis addo mea vota votis.
Munus abſentis mea charta præſtat;
Nulla nam poſſunt loca ſeparare
Pectus amicum.
Semper iratum mihi NUMEN eſto;
Si tui ingratus meminiſſe ceſſem,
Vividus donec reget hos ſeniles
Spiritus artus.
Conditor rerum DEUS, atque noſtræ
Arbiter vitæ, tibi, Dux, tuíſque
Det; ſibi quæ vir ſapiens bonúſque
Rite precetur.

* Belvoir-Caſtle.

2

Ad eundem.

HUNC diem ſignet melior lapillus:
Solis illuſtret jubar hunc benignâ
Luce; * *biſſenum* numero *Novembres*
Ante Calendas.

Hic dies feſtus celebretur: ex quo
Dux amicorum columen ſuorum,
Omnium *Dux* deliciæ, affluentes
Ordinat annos.

Sana mens ſemper vegetúmque corpus;
Hoc vacet morbis; vacet illa curis,
Quæ ſolent circùm laqueata triſtes
Tecta volare.

Gentis humanæ PATER atque CUSTOS,
Des; diu dignis Genitor fruatur
Liberis, digno Genitore longus
Ordo Nepotum.

Idem, alio verſuum genere.

Signet lapillus candidus hunc diem;
Et ſolis almi ſplendidius jubar
Illuſtret hanc lucem, *Novembris*
Quæ duodena præït Calendis.

Nam digna lux eſt hæc celebrarier;
Ex quâ affluentes *Dux* numerat ſibi
Annos, amicorum ſuæque
Deliciæ, columénque gentis.

Mens ſana, corpus ſit vegetum: vacet
Salubre morbis exitialibus
Hoc; illa, quæ circumvolare
Tecta ſolent laqueata, curis.

* 21. Octob. ſive 12°. Cal. Nov.

Æterne

Æterne CUSTOS atque hominum PATER;
Concede, vitam *Dux*, precor, ut diu
Extendat; ut longùm fruatur
Digna ſuo Genitore Proles.

Daphnis Lincolnienſis.

QUIS meum pectus ſubiit repentè
Ignis? In primam videor juventam,
Exuens ſegnem ſenii veternum,
Penè reverti.
Muſa deſuetum recipit calorem;
Tempore & longo citharam ſilentem
Suſcitans, aptat numeros pedéſque &
Carmina nervis.
Rura feſtivo reſonare plauſu
Audio; Nymphas properare cerno
Gratiis junctas: celebrátque agreſtis
Turba choreas.
Annua hæc noſtro ſacra dedicantur
Daphnidi: *Daphnis* dominator agri
Vitæ ab hâc almas numerare cœpit
Luce calendas.
Templa gaudentes adeunt coloni:
Daphnidis nomen recolunt; laceſſunt,
Daphnidi charo bona comprecati,
Æthera votis.
Gaudiis me non ſinit intereſſe
Lucis illius ſpatium locorum:
Mens erit præſens, ſpatio locorum
Neſcia claudi.
Vota jungentur mea: *Daphnidiſ*que
Nomen inſcriptum memori manebit
(Spiritum dum ducam) animo, colendum
Semper amore.

Illa pars anni eſt mihi præter omnes,
Illa pars menſis mihi præter omnes
Chara; quæ vitæ tibi, *Daphni*, primam
Ordinat horam.

Deliæ *Daphnis* ſocius Dianæ,
Et feras ſolers agitare multâ
Vi canum, ſaltus & amica Nymphis
Rura frequentat.

Daphnidi Muſæ placuere: *Daphnin*
Phœbus & Muſæ docuere; *Daphnis*
Ruſticâ ſylvas modulans avenâ
Mulcet & auras.

Montium cuſtos nemorúmque gaudet
Arte venandi arcitenens Diana:
Arte cantandi fidibus canoris
Gaudet Apollo.

Quàm bene affines Soror atque Frater
Excolunt artes! placet hæc Dianæ,
Altera & Phœbo; ſed utramque in uno
Daphnide jungunt.

Daphnidi vitam voveo perennem:
Nulla ſors turbet, precor, ut quietem;
Corpore ut ſano validóque; ſanâ
Mente fruatur.

Ad eundem, cùm forìs peregrinaretur.

CHARA Lux, ſalve: mihi quâ per orbem
Menſium nulla eſt magìs æſtimanda;
Hinc meus primæ ſua *Dux* inivit
Limina vitæ.

Hunc diu longum maris atque terræ
Invidet nobis ſpatium: ſed imo,
Hæret, invito ſpatio locorum,
Pectore vultus.

Spiritus

Spiritus ſed, qui fovet intus artus,
Ceſſet effœtam refovere vitam;
Antequam mens eſſe memor Patroni
Deſinat unquam.
I, licet quò non mihi, Charta fœlix,
Ire: te divortia nulla feſſam,
Te vel intervalla queunt morari
Nulla viarum.
I; quod & præſens obiiſſe vellem,
Debitum munus perage: atque dextræ,
Cui meam vellem ſociare dextram,
Oſcula fige.
Vade: ad hunc, ſi fortè ſit otioſum
Tempus, accedas (ſolet otiari
Rarus;) hæc &, quæ tibi ſcripta mando,
Carmina perfer.

" Qui flent ademptum te ſibi, *Dux* bone,
" Lares parumper fletibus abſtinent;
" Vitæ ut tuæ poſſint Calendas
" Unanimi celebrare plauſu.

" Iſthinc dierum duxit originem,
" Qui quondam adultus Manneriam Domum
" Ornare gauderet, Parentum
" Nobilium generoſus Hæres.

" Tuis amicis quod mihi contigit
" Adſciſci; habebor ſorte ego & ordine
" Poſtremus; at, ſi candidum cor
" Reſpicias animúmque, primus.

" Tuæ ſalutis non minor, ac meæ,
" Me cura tangit. * Pars animæ es meæ:
" Pro te & tuis ardentiori
" Sollicitat prece nemo cœlum.

* Horat. Lib. II. Od. xvii. ℣ 5.

" Supremæ

" Supreme rerum *Conditor*, & *Pater*
" *Cuſtóſque* gentis terricolæ; ambitum
" Qui cœli & orbis ſubjacentis
" Arbitrio regis unus æquo;

" Tranquillus ævum, des, precor, exigat
" *Dux*, mente ſanus, corporis integer:
" Tandémque contingat valenti
" Et vegeta & viridis ſenectus.

" Des; hoſpes oras dum colet exteras,
" Sit morbo ab omni tutus, & aſperum
" Nil ſentiat; terrámque poſſit
" Ad patriam remeare ſalvus.

Ad eundem.

M.DCC.XL. XXI. Octob. quo annum 44^m. compleverat.

RUTLANDE celſis orte Parentibus;
Rutlande celſis digne Parentibus;
Succeſſor ac Hæres honorum,
Quos meritis tibi vindicâſti;

Hic te reviſat ſæpe, precor, dies;
Qui primus in lucem * edidit indolis
Exemplar excelſæ futurum
Manneriæ columénque genti.

Idus † Apriles, ſcis, ut Horatius
Lætus quotannis tranſigeret; ſui
Quòd luce Mecænas ab illâ
Principium numeraret ævi.

* Horat. Lib. I. Od. XVI. ℣ 6. † Ibid. Lib. IV. Od. ii. ℣ 14.

Meum

Meum haud minori *Lux* animum afficit
Octobris hæc *ter ſeptima* gaudio,
Quòd *Dux* ab illâ ducat annos
Luce ſuos meus affluentes.

Dum vota cuncti concipiunt pia,
Cœlum & laceſſunt aſſiduâ prece
Propinqui, amici; affiniúmque
Fida cohors tibi gratulatur;

Eſto clienti fas & amiculo,
Se gratulanti miſceat ut choro:
Quo non magìs gaudebit alter
Officium tibi præſtitiſſe.

Hos fronte verſus excipe, quâ ſoles
Tuos clientes: Muſáque quod ſuo,
Ne ſperne donum, offerre geſtit
(Quamlibèt exiguum) Patrono.

Dux Celſe; NUMEN det tibi, det tuis,
Optare quicquid vir ſapiens velit
Bonúſque: det multos per annos
Sanum animum vegetúmque corpus.

Sub fine ſæc'li natus es ultimi;
Hoc vita ſæc'lum permeet integrum,
Aut tranſeat: ſæc'lis futuris
Progenies tua ſit coæva.

Ad eundem.

Die II. Januarii, Natali MARCHIONIS de GRANBY.

QUI dies Jani ſequitur Calendas,
Inchoans menſes ineuntis anni,
Maſculæ adduxit tibi, *Dux*, priora
Gaudia prolis.

Sæpe lux iſthæc, precor, ut recurrat
Læta *Granbeio Juveni:* venuſto
Nobilem vultu referat bonâque
Mente *Parentem.*
Imbibat doctas ſtudioſus artes;
Queis alumnorum ſolet erudire
Indolem Etonæ Schola, literarum
Sedula nutrix.
His ubi mentem docilem expolivit
Artibus; quicquid patriæ ſuíſque
Debet, exemplo *Patris* incitatus,
Solvere diſcet.
Proximos illi memorare *Fratres*
Convenit: quos ſtirps tulit una; quóſque
Diſpares annis fovet æqua juſti
Cura *Parentis.*
Fauſtitas *Fratres* beet alma; & illis
Vita contingat diuturna: nectat
Mutui hos nodo metuente ſolvi
Ardor amoris.

Ad MARCHIONEM de GRANBY peregrinantem.

CLARIS *Johannes* orte Parentibus;
Quos ſi recenſes uſque ab origine
Priſcâ, ſcies Regale quondam
Stemma tuam decorâſſe gentem;

Horum Parentum ſis memor; excitet
Avita virtus te: neque degener
Committe, poſſis ut videri
Inferior titulis Avorum.

Sic vive; ut ætas poſtera te ſciat,
Quos ad te honores ſtirps tua detulit,

Fuiſſe

Fuiſſe non tam jure nactum,
Quàm meritis tibi vindicâſſe.

Quem ſors dierum cunque dabit, lucro
Appone: vitam nec ſpatio tuam
Metire, at uſu; haud quàm diu, ſed
Quàm bene tempora tranſigantur.

Etona nutrix primùm, Academia
Dein mater artes te docuit: tua
In hâc & illâ te fuiſſe
Patria ſentiat educatum.

Nunc tranſmarinis in regionibus
Verſaris: & te ſcire juvat ſitum
Locorum & urbes, incolarum
Ingenium populíque mores.

Ulyſſis (olim qui patriâ procul
Gentes remotas viſere geſtiit)
Inſiſtis exemplis: Ulyſſes
Qualis erat, * πολύμηϊς eſto.

Cùm nobili ſis cretus origine;
Tibi nec uni, nec Domui tuæ
Memento te natum eſſe: Regni
Publica res ſibi te requirit.

Tuis, memento, quantum humeris onus
Recumbet olim: Patria in arduis
Negotiis cùm te tuúmque
Conſilium auxiliúmque poſcet.

Quoſcunque ad altum Nobilitas gradum
Evexit, eſſe his non mediocribus
Fas eſt: ſed ad ſublime tendens
Spernit humum generoſa virtus.

* Homer. Ιλ. α. ϒ 311.

Longævus eſto: ſit vegetum tibi
Salubre corpus, ménſque potens ſui.
Tranſmitte virtutes avitas
Atque tuas veniens in ævum.

In Natalem RICHARDI ELLYSS Bar^ti.

X. Maii. ſive VI. Id. Maias.

IDIBUS Maii præeunte ſextâ
Luce; *Eques* natus meus eſt: die illo
Non meus natalis erit, nec ullus
Charior alter.
Vivere extento eſt bene dignus ævo:
Cui parem quando invenient honeſtus
Candor & morum probitas, bonæque
Literæ & artes?
Rara ſi virtus animíque dotes
Fruge doctrinæ eximiâ referti,
Fixa ſi poſſet pietatis ardor
Fata morari;
Ille longævi Pylii ter annos
Viveret pluréſque: diu ſed ejus
Pennâ aget nomen metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.
Majus haud unquam meliúſque vitæ
Sæcula exemplar fuerint datura
Poſteris; quamvìs redeant in aurum
Tempora priſcum.
O DEUS noſtri generis Creator;
Dexterâ cujus moderante vitæ
Termini & mortis, ſtabilíque ſortes
Lege reguntur;
Adde *Richardo* numerum dierum
Plurium: longæ ſcit enim pius Vir,

Quod ſciunt pauci, ſapienter uti
Munere vitæ.

EPITHALAMIA.

In Diem Nuptialem Prænobilium JOHANNIS & BRIGITTÆ Ducis & Duciſſæ RUTLANDIÆ.

VI. Cal. Sept.

HIC dies ſit, *Dux*, tibi *Conjugi*que
Jure ſolennis *Soboli*que veſtræ;
Juncta quum dextræ fuerat *Johannis*
Dextra *Brigittæ*.
Det DEUS vobis placidam ſenectam;
Det probos mores docili Juventæ:
Hanc Domum in longum meliúſque ſemper
Proroget ævum.
Hanc Fides & Pax, Honor atque priſca
Incolat Virtus. Rata vota Numen
Fecit: & fatis bona jam peractis
Fata dabuntur.
Hic dies anno redeunte feſtus
Poſteris ſemper celebretur: hunc ſol
Almus illuſtret; foveátque ſemper
Luce benignâ.

In Nuptias Nobilium RICHARDI ARUNDEL & FRANCISCÆ MANNERS.

RICHARDE, quo non ullus honeſtior;
Franciſca, quâ non ulla venuſtior;
Queis digniores invenire
Nemo poteſt face nuptiali;

Par,

Par, ſtirpe clarâ Nobile, *Conjugum*;
Natura queis non fert, tulit, aut feret
Inſignibus præſtantiores
Dotibus & probitate morum;

Diu ſalubrem degite compares
Vitam: Britannis progeniem date,
Quæ digna virtutes *Parentum*
Perpetuet veniens in ævum.

Pax longa caſtos almáque Fauſtitas
Beet penates: veſtráque ad exitus
Lætos ſecundis uſque ducat
Auſpiciis pia vota NUMEN.

Epicedium in mortem Nobiliſſimæ BRIGITTÆ MANNERS Duciſſæ RUTLANDIÆ.

ADSIS, modorum flebilium potens
Camœna: cantus præcipe lugubres;
Tuóſque triſtes junge noſtro,
Melpomene, numeros dolori.

Ergo urget Illam perpetuus ſopor!
Cui quando Virtus, & Pudor, & Fides
Corrupta nunquam, Veritáſque
Invenient ſimilem aut ſecundam?

Longæva non Hanc imminuit dies:
Feſtina lethi corripuit gradum,
Ætatis ipſo in flore, nullis
Parca ſciens precibus moveri.

Sortitur æquâ lege Neceſſitas
Summos & imos: una recluditur
Tellus; graves ſeu ſimus annis,
Seu levi adhuc virides juventâ.

Stat

Stat hoc in ævo perpetuum nihil:
Truduntur annis, inſtabili rotâ,
Anni fugaces; ſpémque longam
Vita brevis vetat inchoare.

Quicunque terræ munere veſcimur,
Neſcimus horam, quam DEUS ultimam
Dabit. Beatus, qui ſupremum
Carpere iter fuerit paratus.

Audire Parcam ſed videor meos
Redarguentem ſic gemitus; *Preme*
Vanas querelas; irritum nil,
Quod fugiens tulit hora, reddet.

Quam mœſtus urges flebilibus modis,
Inîſſe ſedes hanc ſcio lucidas,
Et cœtuum adſcriptam fuiſſe
Ordinibus placidis piorum.

Deinceps amaris luctibus abſtine.
I, vive, qualis vixerat: illius
Veſtigiis inſiſte; nullum
Incutiet tibi mors timorem.

Calendæ Januariæ.

Ad RUTLANDIÆ DUCEM.

JANI Calendæ, cardinis annui
Et menſium quæ progredientium
Initia ordiri ſoletis,
Præteritum & renovare tempus;

Salvete: veſtris auſpiciis ſibi
Salutem amici dicere mutuam
Solent; diéſque haud otioſis
Colloquiis agitare feſtos.

Rutlande

Rutlande cunctis *Dux* mihi charior;
Quàm me juvaret, ſi tibi, quæ mea
Concepit intus mens, liceret
Ore meo bona comprecari!

Quod ore fari me prohibet locus
Procul remotus, charta vicaria
Loquetur; & dicet diſertâ
Voce, licèt tacitâ, ſalutem.

Non mutat annus, ſed repetit vices
Novus peractas: ſe renovat, ſuam
Quum venit ad metam; atque ſemper
Proximus eſt ſimilis priori.

Dux; æqua vitæ ſit ſeries tuæ,
Vicéſque nullas ſentiat: & tibi
Anno valetudo ſequente,
Qualis erat præeunte, perſtet.

Quocunque ſedem fixeris in loco,
Tutela ſervet NUMINIS integrum
Te: nullibi inclementiorem
Aëris experiaris ictum.

Hæc vota pro te fundit amiculus:
Quo nemo vero proſequitur magìs
Amore te; te demereri
Nemo magìs ſtudet, & ſtudebit.

Bis ſex peractis menſibus, orbitam
Complet diei lucidus arbiter:
Suâ bifrons Janus recludit
Clave fores ineuntis anni.

Senſim ordo certis legibus annuus
Per conſtitutas progreditur vices:

Et

Et vergit in brumam ſenilem;
Unde iterum redit in juventam.

Clauſit ſenectus cùm ſpatium ſemel
Vitalis ævi, non homini ſupèr
Spes ulla; non eſt evolutæ
Fas ſtadium remeare vitæ.

Tamen reducit gaudia mentibus
Annus renaſcens: quilibet obvium
Amicus & verbis amicum
Alloquitur bene * ominatis.

Has, *Dux*, Calendas, neſcio, cui velim
Fœliciores, quàm tibi, cedere:
Cui, *Dux*, velim plures calendas,
Neſcio, quàm tibi, comprecari.

Te nulla febris Verna, nec ignea
Æſtas, nec Auſter corporibus nocens
Per tempus Autumni inſalubris
Lædat, Hyems neque fœta nimbis.

Sis ſanus idem corpore mentéque
Labentis ævi per varias vices.
Qualem annus excurrens valentem
Te videt, & videat recurrens.

Jane, te priſci celebrant poëtæ,
Deſinunt in te, redeúntque menſes.
Ultimum claudis, reſeras ſequentem
Claviger annum.
Hactenus ſe lux breviore gyro
Strinxit: at Janus minuit tenebras;
Tam citò nec ſe properant in undis
Tingere ſoles.

* Sic *e* in *malè* non eliditur ante *ominatis*, apud Horat. Lib. III. Od. xiv. ỳ 11.

Plebs poëtarum ſtudioſa lucri
Ex ſuo promit cerebro miſellos
Ingenî fœtus; & ubique nugas
Spargit inanes.
Præco per vicos plateáſque noctu
Metra diſperdit vigil: atque raucâ
Voce, nocturni quota temporis ſit,
Nunciat, hora.
Scripta dum paſſim Cyclici poëtæ
Cruda dant vulgus per ineruditum;
Muſa *Cibberi* ſonat eruditam
Docta per aulam.
Multa *Cibberum* levat aura: ſpernit
Udam humum pennâ fugiente; ad inſtar
Pindari inſurgit, numeríſque fertur
Lege ſolutis.
Georgii nomen recinit quotannis.
Huic ego plauſus minimè invidebo
Aulicos, dum *Dux* mihi charus adſit
Carminis auſpex.

Annum aperit Janus: Jani, ſalvete, Calendæ.
Augeri lucis ſpatia incœpere diurnæ:
Cœpere ingratæ decreſcere tædia noctis.
Verget ad extremum * mediâ mox parte peractâ
Triſtis hyems: blandi accedent confinia veris.
Lætitiæ hoc tempus ſacrum eſt: poſitíſque videmur
Exuviis renovatæ exordia ſumere vitæ.
Rure & in urbe hilares inter ſe mutua amici
Continuare ſolent convivia: & omine fauſto

* Ovidius in lib. I. Faſt. ℣ 459. hyemem mediam ſtatuit 4to *Id. Jan.* id eſt, *die decimo Januarii.* Poſt Delphini Ortum, qui incidit in 5. *Id. Jan.* [" Poſtera lux hyemem medio diſcrimine ſignat, " Æquáque præteritæ, quæ ſuperabit, erit.] Sed Plinius, lib. XVIII. Natur. Hiſt. cap. 26. & Columella, lib. II. de re Ruſtic. cap. 2. mediam hyemem referunt ad *Prid. Non. Jan.* id eſt, 4um Januar. quo juxta Plinium exoritur Delphinus.

Pro

Pro ſe próque ſuis ſolennia mittere vota
Ad cœlum; incoluméſque annos multóſque precari.
Tecum (abſim, *Dux* chare, licèt) mea gaudia, tanquam
Præſens, miſcebo: nulla intervalla locorum
Eripient mihi te; tuus hæret pectore vultus;
Et, quam lingua nequit, dicet tibi charta ſalutem.
Annus cùm ſenium ponens ſegnémque veternum,
Primævæ recipit formam florémque juventæ;
Dant Muſis operam & minimi ſummíque poëtæ.
Præco, cui ſocius canis & laterna viarum
Dux eſt, qui vigilans nocturnus obambulat ædes,
Campanámque movens rauco ore renunciat horam;
Carmina per trivia atque domos, at non ſua, portat.
Carmina, ſed ſua, *Cibberus*, cui laurea frontem
Cingit, Dircæo non cycno imitabilis ipſi,
Profert: quæ fidium nervis & vocibus aptans,
Odis attonitam mulcet ſublimibus aulam.
Nubium hic in tractus tendit perniciter altos.
Non ego ad hos poſſum numeros aſſurgere grandes;
Non juga Parnaſſi exiguis attingere pennis.
Sim (me ſic finxit Natura) inglorius: alas
Arcto majores nido extendiſſe cavebo.
Florilegæ inſtar apis, quam laudat * Flaccus, ad imas
Montis radices thyma dulcia carpere malo.
Si tibi muſa humilis placeat mea, nil magìs opto:
Nil mihi plùs cordi eſt, quàm, *Dux* dilecte, precari,
Ut Jani multas poſſis numerare Calendas.

Tempus hoc mos eſt celebrare feſtum:
Quo biceps Janus præeuntis anni
Exitum atque ortum redeuntis uno
Cardine jungit.

* Lib. IV. Od. ii. ỳ 7.

Uvidus triſti facie December
Imbribus fuſis ferè merſit agros:
Nunc in [a] inverſum reſupinat annum Aquarius urnam.
Adſident menſis hilares; coronant
Vina convivæ dapibus repleti:
Frigus expellunt hyemémque [b] largè
Ligna [c] repôſtæ.
Heus, puer, miſce cyathos capaces.
Nobili primus ſacer eſto Patri;
Proximi [d] quinæ ſoboli paternæ
Quinque dicentur.
Impari gaudent numero Camœnæ:
Adde tres ſenis. Mea vota poſcunt
Et *Ducis* frater *Gulielmus*, & *Par*
Suave *Sororum*.
Huic Domo conſtans [e] Hygiéa cuſtos,
Et Salus adſint: ſeriéſque ſervet
Nomen antiquis titulis refulgens
Longa nepotum.
Huic Domo quicunque faves, adeſto;
Et meis jungas tua vota, dicens:
Vive, Dux; clariſque tuæ perennent
Stirpis honores.
Deinde amicorum memores tuorum,
Vivat [f] *Herbertus* tuus, apprecamur;
Ob fidem raros meritus reponi
Inter amicos.

[a] Horat. Lib. I. Sat. i. ℣ 36. [b] Lib. I. Od. ii. ℣ 5, 6. [c] Lucret. I. 36.
[d] Tribus filiis, & duabus (quæ tunc vivebant) filiabus. [e] Ὑγίεια, Orph. Hymn.
[f] Arthurus Henricus Herbert Arm^r. tunc rure cum Duce verſabatur.

Ad

Ad eundem; cùm ipſi Anacreontem mitterem.

Rhythmi ANACREONTICI, & IAMBICI.

ANacreon poëta,
Quo nullus eſt venuſtior;
Ducem, i, meum ſaluta,
Quo nullus eſt præſtantior.

Es arbiter leporum;
Hic novit elegantiam:
Et ſuavitate morum
Inibis hujus gratiam.

Favere literatis
Amat; colítque literas:
Suæque dignitatis
Has gaudet eſſe teſſeras.

Muſas lubens amplectitur:
Eſt artium patronus;
Fuiſſe qualis dicitur
Eques * Flacco Latinus.

In hunc annum atque plures
Salute perfruantur
Ut *Dux* Ducíſque Proles,
Omnes boni precantur.

Ad eundem; rure degentem.

DUX tuæ gentis Decus, & bonarum
Artium Cultor ſimul & Patrone;
Plurimam impertit tibi rus profecto
Muſa ſalutem.

Liber à curis, procul à tumultu
Urbis atque aulæ, frueris ſerenâ
Pace: quæ perrara ſolet potentum
Limen adire.

Otium dulce & placidos receſſus
Blanda nunc præſtat tibi, cui propinquus
Trenta confines lavat amnis agros,
Villa *Kelhami*.

* Mecænas.

Nequa

Nequa pars lucis pereat diurnæ
(Nil ſibi vult vir ſapiens perire);
Aut legas, quando vacat, hoc vel illud
Vatis Horatî
Carmen; aut (ſi ſit nimiùm moleſta
Lectio; Flacci ſatìs eſt modeſta
Indoles; obtrudere ſe veretur
Tempore * lævo)
Muſicos tractes modulos, peritis
Fila percurrens digitis; ſonantes
Has modò, illas mox, quatiens canoro
Pectine chordas.
Muſicos Phœbus fovet & poëtas:
Hos Novem atque illos pariter Sorores
Diligunt, Artíque ſuum dederunt
Nomen † utrique.
Semper affines fuerant Poëtæ
Muſicis: idem Lyricum ſciebat
Carmen ordiri, Lyricúmque ‖ nervum
Tangere Flaccus.
Dum manes ruri, valeas: vacantes
Flaccus (ut dixi) tibi fallat horas;
Aut Cremonenſi fide miſce amœni
Gaudia ruris.
Chare *Dux*, quamvìs ſpatium locorum
Te tuo avellat procul à cliente;
Me meo avellent ſpatia à Patrono
Nulla locorum.
Proſequar te, ſis ubicunque: nunquam
Excides abſens animo; tuúſque
In meo hærebit memori perennis
Pectore vultus.

* Horat. Lib. I. Sat. ii. ỳ 4. † Poëſis vocatur *Ars Muſica.* Terent. Andr. Prolog. ỳ 16. ‖ Horat. Lib. I. Od. xxxi. ỳ 20.

Antequam charta hæc mea complicetur,
Neſcias nolim; tibi quòd ſalutem
Mittat * *Ellyſſus*, licèt integræ expers
Ipſe ſalutis.
Hanc ſtylo ſcriptam rudiore chartam
Nomen *Ellyſſi* decorabit: illud
Verſui ſplendens dabit impolito
Nomen honorem.
Optimi vellem calamum poêtæ,
Sive pictoris mihi contigiſſe;
Ut tuo *Ellyſſo* ſimilem tabellam
Pingere poſſem.
Pindarum ſi vis foret æmulandi;
Aureos † educerem in aſtra mores:
Quos ‖ aget pennâ metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.
Quæ viri virtus, probitáſque vitæ
Neſciens flecti! Sibi conſtat; & ſe
Poſſidens totum, ſpatium beati
Tranſigit ævi.
Jugis incumbit ſtudiis: opéſque,
Roma quas & Græcia literarum
Dives ubertim cumulavit, in ſe
Colligit uno.
Hunc tibi cùm, *Dux*, facias amicum;
Cernimus, quàm ſis bene judicare
Arbiter doctus, ‡ meritóſque cautus
Sumere amicos.
Hic Vir eſt ævo meliore dignus:
Cui pares paucos generaret ætas
Noſtra, nî poſſent remeare in aurum
Sæcula priſcum.

* Richardus Ellys Bart^us^. † Horat. Lib. IV. Od, ii. ℣ 24. ‖ Lib. II. Od. ii. ℣ 7. ‡ Lib. I. Sat. vi. ℣ 51.

Inde-

Indefinenter dum fluvii imbrium
Terram in jacentem defuper impluunt;
  Contriſtat & lucem diurnam
    In lachrymas reſolutus aër;

Vici madentes dum prohibent foras
Prodire, & auras carpere liberas;
  Aut quendam amicum inviſere, & me
    Alloquio recreare dulci;

Dum ceſſat atris nubibus obſita
Phœbea lampas (lumine quæ ſuo
  Vitam novam inſpirare ſuevit)
    Hanc humilem irradiare cellam;

Quo poſſe pacto, queis ſtudiis putas
Ingrata ſolum fallere temporis
  Me tædia obſcuri, meámque,
    Optime Dux, hilarare mentem?

Dicam. Vel odam vatis Horatii
Lubenter unam verſo vel alteram;
  Terentii hanc ſcenam vel illam;
    Vel Ciceronis opus diſertum,

Quo nos Latinæ maximus arbiter
Linguæ atque princeps eloquii docet,
  Sive in foro ſive in ſenatu
    Sive quis ad populum peroret;

Vel Mantuani Virgilii eclogas,
Labore duros agricolas lego,
  Ducémque Trojanum, unde nata eſt
    Romulidûm generoſa proles.

Sic me beatum cella libraria
Claudit: revolvo, quid Maro ſcripſerit,
  Quid Flaccus; & tecum fuiſſe
    Me juvat hos meminiſſe lectos.

Dux

Dux chare; paſſûm plurima nos licèt
Urbem inter & rus millia ſeparent;
Te ſiſto præſentem: meíſque
Te ſtudiis aliquando jungo.

Lætus recordor; præ reliquis tibi
Inter legendum quis placuit locus:
Horatii *juſtum* probâſti
Propoſitíque virum tenacem.

Metris Iambis pinxit Horatius
Tranquilla vitæ gaudia ruſticæ:
Viſum eſt tibi Odam, quæ placebat,
Angliaco decorare verſu.

Nunc rure forſan (cùm retinet domi
Te triſtis aër, & pluvialium
Decurſus undarum propinquis
Diluviem minitatur agris)

Siquando ſoli quid datur otii;
Reviſis Odas ſuavis Horatii,
Quas antè legiſti; novâſque
Delicias relegendo ſentis.

Sis tutus, oro: nec noceat tuæ
Quicquam ſaluti; quamlibèt annuus
Suas vices alternet orbis,
Soſpite te, varias. Valeto.

Ad eundem, Scarburgi.

Oda SAPPHICIS & ALCAÏCIS mixta.

SIS licet fœlix, ubicunque mavis;
Et tui ſemper memor eſto Flacci:
Nec die mordax neque nocte rumpat
Cura quietem.

Quum vides, quanto mare fluctuetur
Murmure iratum; ſcateat quot ingens
Belluis pontus; reſonéntque quanto
Verbere ripæ;
Lincolnienſes nónne reviſere
Mens vellet oras? ardua quas tua
A * *Viſu amœno* Arx nominata
Nobilitat, decorátque; cujus

Vicinus aſtris undique apex agros
Deſpectat infrà: puriùs æthera
Haurire ubi aſpectûque cœli
Liberiore frui licebit.

Siquando feſſus vis requieſcere,
Umbram hoſpitalem dat gelidum nemus:
Aut, ſi lubet, vulpem canum vi
E latebris agitas doloſam.

Dux literarum Cultor & artium
Fautor bonarum, nobile qui genus
Et ſtirpis antiquos honores
Moribus eximiis adornas;

Cùm Phœbus ardens atque Canicula
Siticuloſos urit agros, maris
Ripas propinquas alluentis
Unda tibi minuet calores.

Grato in receſſu tutus & otio,
Curíſque liber, quærere negliges,
De † rege diſcordes Polono
Quæ populi meditentur arma.

* Belvoir. † Scripta hæc fuerunt ann. 1733. Jul. 24.

Dum

Dum nationes Mars ferus exteras
Exercet, Anglum ſtet Capitolium;
Noſtrámque nulla injurioſo
Sors pede dejiciat columnam.

Te ruſticantem detinet * *oppidum*
A *rupe* dictum, Mœnibus hunc locum
Cinxiſſe, turrim & fabricâſſe
Fertur ibi *Comes Arbemarlæ.*

Hæc (longa quid non imminuit dies?)
Gravem ruinam, lapſa ſitu, dedit:
Henricus at damnum *ſecundus*
Hoc poſitâ reparavit arce.

Excelſa rupes & ſcopulis minax
Circùm frementi tunditur æquore:
Rupíſque præruptæ cacumen
Herbida planities coronat.

Vicinus huic fons jugis aquæ fluit,
Frigúſque feſſis præbet amabile:
Et his aquis tollit malignos
Certior haud medicina morbos.

Has prætuliſſet † *Blanduſiæ* ſuæ,
Has digniores floribus & mero,
Flaccus; ſuis has maluiſſet
Carminibus celebrare lymphas.

Turris ſub ipſis regia faucibus
Sita eſt. In Auſtrum urbs & Boream latus
Utrumque tendit: murus urbem
Protegit hinc, lavat indè pontus.

Ibi innocentis pocula Liberi
Duces, amicis commodus & tibi:

* Scarboroug. Vide Camden. † Lib. III. Od. xiii.

Jocíque, congreſſus, choreæ
Compoſitâ repetentur horâ.

Si temporis pars ulla vacaverit;
Delectet & te ſeria ludicris
Miſcere; ſi mentem ſubinde
Non pigeat recreare Muſis;

Noſtrum jubebis forſan Horatium
Adeſſe, lætum ſemper & utilem.
Coméſne Mecœnatis olim
Qui fuerat, tibi diſplicebit?

Illinc amaras ſollicitudines
Trades protervis in mare proximum
Portare ventis: quos ſub Arcto
Tetrica lis faciat tumultus,

Quid hos vel illos terreat, unicè
Securus. O qui gaudia diligis
Ruríſque venatus, canéſque
Ex foveis olidam cientes

Vulpem; precetur quid tibi amiculus,
Audi: Fruaris corpore mentéque
Sanis; diu vivas; & Uxor
Te pia, te Soboles fruatur.

Ad eundem, Bathoniæ.

PLANITIE* in modicâ, quam colles undique cingunt
Æquis verticibus, *Bathonia* ſubſidet: imis
Fonticuli ſubeunt orti de collibus urbem.
Fons terræ è venis erumpens, ſulphure cujus
Percolantur aquæ nigróque bitumine, triplex
Exhalat tenues nebulas ſævámque mephitim.

* Camden.

Lympha

Lympha ſalutiferum ſudorem procreat æſtu:
Pellitur atque ægro de corpore morbidus humor.
Non omni proſunt ægris hæ tempore lymphæ:
Clauduntur thermæ quippe (horas quatuor ante,
Tres horas mediam poſt lucem), donec ab imo
Fundo, quæ traxit ſordes, effluxerit unda.
A † *cruce*, quæ medio fuit olim fixa lavacro,
Thermæ aliæ nomen duxere: ibi lympha tepeſcit;
Saxeáque incingit duodena ſedilia murus.
Bis centum hinc aliæ pedibus viſuntur, aquarum
Queis * *fervens* æſtus tribuit ſua nomina, *Thermæ*.
His binis ‖ *Thermas* majores, nomine claro
Regis honoratas, murus circundat: eaſdem
Intrat turba frequens ſexûs utriuſque ſeorſum.
Vicinum eſt cultu priſco venerabile *Templum:*
Olim ubi fama refert ſua ſacra habuiſſe Minervam.
Vero nunc ibi ſacra DEO facere, atque ſalutem
Implorare ſolet populus poſt balnea ſupplex.

Ad eundem.

MITTO per hanc chartam tibi, *Dux Rutlande*, ſalutem.
Gaudia te ruris præſtent aérque ſerenus
Incolumem: tibi nec noceat, ſeu Julius ardens
Torret agros; Leo ſeu Solem furibundus acutum
Accipit, atque infert irata Canicula morbos.
Temperet æſtivos tibi mitior aura calores:
Seu te grata tenent *Avrami* Septa, *Kelhami*
Sive Domus placidis *Trentæ* contermina ripis;
Seu te *Belvoriæ* invitat celſiſſimus Arcis
Et cœlo vicinus apex; te ſive propinquæ
Croxtonæ nemus umbroſum, venatibus aptum;
Fœcunda & multâ vivaria prole natantûm.

† Croſs-bath. * Hot-bath. ‖ King's-bath.

Sanum

Sanum, ubicunque juvet tranquillam ponere ſedem,
Sit corpus, mens ſana: abrumpat nulla ſalubres
Somnos ſollicitudo, dabis cùm membra ſopori,
Et vegetus ruris conſueta ad munia ſurges;
Sive juvat lepores pavidos damáſve fugaces
Sectari, aut canibus vulpes agitare ſagaces,
Seu piſces tremulâ ſalientes ducere ſetâ;
Sive placet magìs aucupium; campíve per æquam
Planitiem mavis jactu certare globorum.
Quodcunque arridet genio (modò nil nimis) illud
Inſequere; & quemcunque dabit tibi dextra dierum
Sors, appone lucro; donec moroſa virenti
Canities aberit: paulùm obliviſcere, quæ ſint
Bella Noto vel Hyperboreis pugnata ſub oris;
Quas ſævus Gallis Mars Germaníſve minetur
Clades; obſeſſa aut trepidet quo Mantua fato.
Incolumis modò ſtet Britonum fortuna: nec unquam
Ulla domi, ulla foris regnum diſcordia vexet.
Delicias inter ruris ſiquid datur [a] otî;
Te, patere, ut moneam (quanquam haud monitoris eges [b] tu,
Et ſat conſilio proprio ſapis, & bene per te
Fingeris ad rectum): Flacco auſcultare memento;
Et reputare, [c] quod eſt dignum ſapiente bonóque;
Quod [d] minuet curas; quod te tibi reddet amicum.
At forſan, quid agam, *Dux*, percontabere. Vitam
Dego [e] ſolutorum miſerâ ambitione gravíque.
Verſo libros veterum; excerpóque, quod utile viſum eſt.
Chartis [f] illudo. [g] Aſſiſto divinis. [h] Dulcis amicis
Occurro, quales habeo, paucíſque boníſque.
Omnem [i] credo diem mihi diluxiſſe ſupremum.
Et quando, vergente die ſtudiíſque peractis,

[a] Horat. Lib. I. Satyr. iv. ℣ 138. [b] Lib. II. Epiſt. xx. ℣ 67. [c] Epiſt. iv. ℣ 5. [d] Lib. I. Epiſt. xviii. ℣ 101. [e] Lib. I. Satyr. vi. ℣ 129. [f] Satyr. iv. ℣ 139. [g] Satyr. vi. ℣ 114. [h] Satyr. iv. ℣ 135. [i] Lib. I. Epiſt. iv. ℣ 12.

Langueſcentem animum lubet exhilarare; edo; poto
Sobrius, atque tuum inter pocula miſceo nomen.
Hæc ſcribo quarto Quintiles ante Calendas:
Sed noſtro ſi more velim numerare; * diurnum
Menſis ſeptenum quater implet Junius orbem.

Ad eundem.

NUNC fronte tandem ridet amabile
Cœlum ſerenâ: mergere deſinit
Nimbis colonorum labores
Immodicis lachrymoſus æther.

Annum renaſci credideris novum;
Soles refulgent puriùs: & ſua
Ruri voluptas reſtituta
Cor hilarat, recreátque mentem.

Maturat ardens hora Caniculæ,
Coquítque meſſes: cum grege languido
Exquirere umbroſos receſſus
Paſtor amat, liquidóſque fontes.

Damæ † ante limen penè domeſticæ,
Aſſuetæ herilem lambere dexteram,
Terga arborum ſtratæ reclinant
Sub patulis maculoſa ramis.

Hæc villa, quam, *Dux*, incolis, igneos
Levabit æſtus: per gelidum nemus
Errabis & lucos; amœnæ
Quos & aquæ ſubeunt & umbræ.

Te fortè quum non alter amicior
Comes tenebit; quum digiti vacant,
Callent modos qui tam peritè
Italicos ſociare chordis;

* Junii 28. † In villâ vocatâ *Averham-Park.*

Admitte,

Admitte, quem non ſpernis, Horatium;
Qui nôrat olim Cæſaris auribus
Placere: momenta otioſi
Temporis haud malè collocabis.

Ad eundem, cùm ferinæ donum miſiſſet.

SUOS ſodales, cùm trucis aſperas
Maris procellas & rabiem Noti
Paſſi fuiſſent ſævientis,
Dardanius * miſeratus Heros;

Ut mœſta poſſent pectora gaudiis
Explere, & artus ſemineces novâ
Donare vitâ, omnéſque vires
Corporeas revocare victú;

Venationis munera dividit.
His feſta ſumptis ocyùs inſtruunt
Convivia; & pingui jacentes
Exhilarant animos ferinâ.

Siquod vetuſtas det pretium, dapis
Ferinæ honorem longè ab origine
Antiquiori duco: † Moſis
Scripta fidem haud dubitanda firmant.

Iſaacus olim, ‡ Patre fidelium
Ortus, ſenectâ debilis, & ſuæ
Morti propinquus, non ferinâ
Eſcam habuit ſibi dulciorem.

Ferina gratis parta laboribus
Ferina vaſis apta capacibus,
Regina menſarum, ſuperbit
Nobilioribus in culinis.

* Æneas. *Virgil. Æn.* I. 49, 194, 210, &c. † Gen. xxvii. 3. ‡ Abraham. Gal. iii. 7.

Non

Non intrat ultro limina pauperum
Anguſta: gaudet quippe frequentiùs
Potentiorum ſumptuoſas
Pontificum * decorare menſas.

Meos Penates (ſint humiles licèt;
Contentus at queis, rege beatior,
Vivo) beavit, quod ferinæ
Das mihi, *Dux generoſe*, munus.

Donatus illo munere, convoco
Paucos amicos: non ego copiam
Peropto amicorum; placent hi,
Quos probitas animíque candor,

Quos rara virtus neſcia flectier,
Cultíque mores conciliant; amant
Qui literas, & literatos
Dulcibus officiis juvare.

His convocatis gratulor: & dapes
Appono inemptas; quas tua, *Dux*, manus
Benigna miſit. Te tuos, *Dux*,
Nemo benignior in clientes.

Læti aſſidemus; ſollicitudines
Obliti amaras, tranſigimus diem:
Miſcere fabellas amœnas
Atque jocos libet innocentes.

Nomen *Johannis Mannerii* additum
Mero jubemus ſæpe recurrere:
Satíſque paſti ſobriíque
Multa *Duci* bona comprecamur.

Vellem (meæ ſed non opis eſt) tuo
Par munus, ô *Dux chare*, rependere:

* Horat. Lib. II. Od. xiv. ỳ 28.

Macrúmque pro pingui ferinâ
Mittit inops tibi Muſa carmen.

Exile donum mitto: tibi at meum
Cor ſi liceret cernere; commodis
Gerit tuis inſerviendi
Nemo animum ſtudioſiorem.

Johannes Dux Rutlandiæ,
Bonarum cultor artium;
Suis amicis commodus;
Amicus, quo, nolim, mihi
Contingat ut præſtantior;
Facetus; comis omnibus;
Faſtum ſuperbum neſciens;
Cui frons ſerena, candidi
Mores, ſales innoxii;
Ille, inquam, *Dux Rutlandiæ*,
Quamvìs potens celſiſſimo
Stet dignitatis culmine,
Epiſtolares chartulas,
Nugas quandoque metricas,
Conſcribit ſæpe quas rudi
Stylo cliens amiculus,
Non aſpernatur: otii
Sed ſi quid eſt à ruſticis
Domeſticíſve gaudiis,
Aut vulpium venatibus,
Vultu benigno perlegit.
Abſens licèt, mei memor,
Me crebro donat munere:
Quo tranſigam feſtos dies,
Et (dum ruri moram trahit;
In urbe dum libris vaco,
In cellulâ librariâ
Antiquorum conſortio
Fruens) nonnunquam ſplendidis
Relaxem me conviviis.
Ferinam nuper in dapes
(Ut aſſolet) largitus eſt
Pinguem: quâ lætus ferias
Bari lemæanas exigam.
Pinguem ſentit poſt ferinam
(Inquit *Ben. Johnſon*, quem vo-
Muſa paſta vim divinam. cant)
Tentare nunc lubet; mea
Num Muſa vim poëticam
Ferinas poſt *Ducis* dapes
Sentire poſſit, & (gravi
Torpore pulſo, quo ſenex
Laborat) incaleſcere.
Suarum, Muſa, virium
Quæ novit impotentiam,
Modeſta, non aſſurgere
Ad heroïci carminis
Grandes modos audet: brevi
Pedum contenta circulo,
Qualíque poſſit carmine,
Quantumvìs exili & macro,
Ferinâ pro pingui ſuas

Studet

Studet referre gratias.
Carnis ferinæ ferculo,
Cibis inemptis (* Flacce, quos
Commendas, vitam ruſticam
Iambo laudans dimetro;
Exempli quo tui æmulus
Nunc utor) inſtruo meam
Menſam: quâ ſtructâ conſident
Pauci, ſed lecti; qui *Duci*
Amici ſunt meo & mihi;
Gaſtaldus & *Denaius*, hic
Palatini res *Principis*,
Res ille *Januenſium*
Curat. Verbis ſolennibus
Præit, menſæ dicens bene,
Pro more *Vernonus* pio,
Noſtræ Rector Paræciæ.
Omnes accumbimus: dape
Ferinâ complemur; *Ducis*
Nomen miſcemus poculis.
Remotis demum lancibus,
Peractis rite gratiis,
Mixtis læti ſermonibus,
Quæ reſtant, horas fallimus.
Ad cœlum voce ſupplice
Conjuncta pro chari *Ducis*
Salute vota mittimus.
Tum paſti, poti, ſobrii,
Domum recedunt ſinguli.

In aſperrimam Anni 1739. hyemem.

TE, Jane, quantus corripuit furor!
Momenta vitæ lapſa redintegrans,
Reducis unà triſtiorum
Inſolitam faciem malorum.

Videmus, altâ ut ſtent nive candidi
Montes, laboret pondere frigoris
Operta tellus; útque conſtet
Unda gelu Thameſina acuto.

Prata atque campi ſub glacie aſperâ
Torpent ſepulti: frondibus & ſuis
Nunc arbores nudas pruinâ
Bruma rigens tegit albicante.

Immitis Eurus cum Boreâ ſuas
Augendo vires permeat aëra:

* Epod. ii. ℣ 48.

Séque iſte, quem captamus, aër
Inſinuat miſeros in artus.

Quo ſuſtineri vita ſolet, calor
Algens remitti cœpit: inertiùs
Perlabitur venas; fluítque
Languidiùs, refluítque ſanguis.

Fallax ubique & lubricum iter: pedes
Plantam trementem figere neſcii
Caſum reformidant, viáſque
Difficiles faciunt eunti.

Vulcanus ardens & glacies ſimul
De principatu pugnam ineunt: aqua
Dureſcit invito igne; ſéque
Ignipotens dolet eſſe victum.

Suæ quis unquam vitæ ab origine
Annos revolvens, tot mala, tam gravem
Per frigus infortuniorum
Incubuiſſe ſciat cohortem!

Mortalium tot cùm pereuntium
Turbam videmus, quotquot eunt dies;
Horrore quis non contremiſcat?
Quis ſibi non putet imminere

Statim ruinam? Quis caveat ſatìs,
Quod quiſque vitet? Cingimur undique
Damnis: & improviſa fata
Omnibus exitium minantur.

Malis abundat quæque recentibus
Lux; nulla paſſim non loca luctibus
Complentur: humanis onuſta
Se ſpoliis Libitina jactat.

Majore cùm nunc ſtent pretio omnia,
Natura in uſum quæ ſibi poſtulet,
Humana ſalvam ſe tueri
Vita quibus nequeat negatis;

Domos egeſtas quanta humiles premit!
Ubi quietos vix tegeticula
Somnos dat; & victû carentes
Excruciat rabies edendi.

Moles vacillat corporis; & fames
Exſiccat artus: ſunt tenues velut
Imagines, exanguia & pro
Corporibus ſimulachra vivis.

CREATOR orbis, Cœlicolûm PATER
Gentíſque noſtræ: Numine qui tuo
Cuncta ordinas, ſummámque rerum
Arbitrio moderaris æquo;

Mutare tandem triſtia mitibus
Digneris: irâ depoſitâ, indue
Clementiam, placabilíſque
Supplicibus fer opem Britannis.

Ad RICHARDUM ELLYSS Bar^tum^. in Urbem reverſum; Oda gratulatoria.

RICHARDE, clemens te reducem DEUS
Tuorum amicorum & tui amiculi
(Amicior non vivit alter)
Sollicitis precibus redonat.

Te, digne cœlo, non ſuperas ſinit
Adire ſedes; téque diutius
Jubet morari, ut literarum
Eſſe decus columénque pergas.

Novem

Novem Sorores, quæ priùs incolæ
Montis fuerunt Pierii, & tuas
Dein literatas maluerunt
Ac nitidas habitare cellas;

Abſente flêrunt te; ſtudia & ſua
Odere inertes: ipſa dolentium
Viſa & ſuarum eſt incolarum
Bibliotheca dolore tangi.

Te nunc reverſo, te ſuo Apolline,
Edunt Camœnæ plauſum hilarem: ipſáque
Plauſu incolarum eſt viſa tangi
Bibliotheca hilari ſuarum.

Quàm ſæpe dixi, quando aberas, *Eques*
Ingens virorum gloria equeſtrium,
Arthritis acri dum dolore
Dira tuos cruciabat artus;

Hunc Parca terris ſi rapit invida,
Quem Fata nobis invenient virum;
Qui poſſit, exemplo hôc adempto,
Noſtra ſatìs reparare damna?

Videtur ille in publica commoda
Fuiſſe natus: nemo magìs ſtudet
Prodeſſe cunctis, omniúmque
Auxilio dare ſe paratum.

Ubique largus, porrigit impiger
Lubénſque egenis munificam manum:
Nemo eſt in uſus literatos
Semper alacrior erogando

Sumptus. Bonis hâc arte recluditur
Cœlum. Beatum dixero; qui, DEI
Quod dextera impertit benigna,
Callet, ubi eſt opus, elocare.

Cui

Cui tanta virtus, & pietas, amor
Tenax honeſti? Quis colit integros
Severior mores? Quis æquam
Scit meliùs placidámque mentem

Servare? Spernit gaudia ſæculi
Contaminati: particulam haud humo
Divinioris figit auræ;
Gaudia amans potioris ævi.

Dum vita perſtat, Chare *Eques* (ô diu
Perſtet!) tibi mens ſana ſit: & DEUS
Arthriticos dextrâ potente
Exigat, aut minuat dolores.

Ad RICHARDUM HALE M.D.

AMICE, quo non alter amicior;
Virtutis arcto à tramite devium
Quem degener non traxit unquam
Ambitio popularis auræ;

Sectantur aulas & titulos, quibus
Fortuna ſplendens impoſuit jugum:
Servile vulgus, tam moleſtis
Imperiis malè mancipatum.

Tuum, *Hale*, pectus propoſiti tenax
Iſtis moveri blanditiis nequit:
Sperníſque fortis, ſorte major,
Arte potens, titulos inanes.

Multus tuam æger ſentit opem: ſtudes
Prodeſſe ſemper; nec tibi veſpero
Surgente decedunt labores,
Nec rapidum fugiente ſolem.

Tanta inter iſthæc tótque negotia
Siquando tempus ſit vacuum; ut juvat
Tuis amicis intereſſe, &
Sollicitam explicuiſſe frontem!

Stat hoſpitalis menſa: mero ſcyphos
Bacchus coronat lætitiæ dator;
Dum quiſque labentes facetis
Colloquiis bene fallit horas.

Accedo, cœtûs pars aliquantula,
Conviva menſis ipſe tuis frequens:
Mutare quas regum ſuperbis
Pontificúmve epulis recuſem.

Amice, quo non alter amicior;
Tibi quid illis pro meritis precer?
Diu, tuis ut tu fruaris,
Téque tui, precor, ut fruantur.

Ad JOHANNEM FREIND M. D.

QUÆ te livida vellicare tentat,
Et libros medicâ arte perpolitos
Cenſurâ notat impotente; chartam
Vilem, ſi ſapias (ſapíſque), mecum
Tu non unius æſtimabis aſſis;
Non caſſæ nucis æſtimabis. Iſti,
Queis nil Parca dedit, niſi inficetum;
Sub craſſo aëre nati & inſalubri,
Vervecum in patriâ artibus negatâ;
Quam ſemper nebulæ ambiunt, malúſque
Urget Jupiter; undecunque nullam
Cùm poſſint ſibi comparare famam;
Quærunt undique, cui nocere poſſint.
Quærunt, ſed nequeunt nocere. Ineptas

Sueti

Sueti ſpargere chartulas, labores
Carpunt mordicus eruditiorum.
Tu Coï ſenis æmulus, medendi
Triſtes arte potens fugare morbos,
Et lethi volucrem gradum morari;
Udam ſpernis humum, atque homunciones,
Quos tellus alit haud amica Muſis:
Dum nos Hippocratis tuíque amici
Latratus miſeros tenebrionum
Non ſanè unius æſtimamus aſſis;
Nolumus nucis æſtimare caſſæ.

Ad eundem.

COï *Freinde* ſenis cultor & æmule,
Graios docte ſales, eloquio potens
Romano; medicâ ſiſtere ſcis manu
Lethi præcipitem gradum.
Te morbi ſpecies nulla fugit: celer,
Quæ ſit cauſa mali, diſpicis; & ſagax
Morbum viſum aliis immedicabilem
Ars callet tua vincere.
Per te arti medicæ eſt addita dignitas,
Accrevítque fides: quippe, quid efficit
Rerum cognitio certa, doces; ſciens
Quantum diſtat ab inſcio.
Quod plerique avidi ſollicito ambitu
Quærunt, id meritis ſponte datur tuis.
Fortunæ famuli ſint alii: imperas
Fortunæ generoſior.
Te quamvìs Proceres Auláque poſtulent;
Antiquum tamen haud ſpernis amiculum.
Primam ætatem aluit noſtram eadem [a] Schola;
Suſcepítque [b] Academia

[a] Weſtmonaſterienſis. [b] Oxonienſis Ædes CHRISTI.

Nos deinceps eadem: das igitur mihi,
Poſſim tecum [a] epulis ut genialibus,
Quas noſtræ memores inſtruitis ſcholæ,
Nunc conviva recumbere.
Clemens cuncta tibi proſperet & tuis
NUMEN vota: vices noſtra per annuas
Soſpes, ſoſpite te, concelebret diu
Solennes Schola ferias.

Ad JOHANNEM HOLLINS M. D. Medicina Vetus & Nova.

EX [b] quo Prometheus æthereâ domo
Subduxit ignem fraude malâ; cohors
Delapſa morborum ſceleſtis
Incubuit numeroſa terris.

Priùs remoti tarda Neceſſitas
Lethi, morantem corripuit gradum:
Totáſque congeſtis replevit
Funeribus Libitina gentes.

Excita ab orco Tiſiphone furens
Novum univerſo [c] diluvialibus
Vix nuper undis liberato
Exitium minitatur orbi.

Cœli Supremus Rex miſeris opem
Afferre [d] præſens, miſit Hygeïam;
Ruinæ ut humanum medelis
Eriperet genus imminenti.

[a] Solennia illa Scholæ Weſtmonaſterienſis Comitia primùm fuerunt indicta & celebrata 1727. 17 Cal. Feb. ſub ſex (quorum unus tunc Johannes Freind M. D.) Œconomis. [b] Horat. Lib. I. Od. iii. ℣ 27. [c] Solin. cap. 9. *diluvialis irruptio.* [d] Horat. Lib. I. Od. xxxv. ℣ 2.

Fati

Fati hæc repreſſit præcipitem impetum
Graſſantis; artus gnara potentibus
Fovere ſuccis, corporúmque
Debilium reparare vires.

Ducit Medentum claſſem Epidaurius.
Famam Machaon & Podalirius,
Parentis exemplum æmulati,
Dardanio peperere bello.

Hi Martis artes haud ſecus, ac Patris,
Tractare ſcîbant; vulnera ſive opus
Sanare, ſeu præeſſe pugnæ;
Carminibus celebres [a] Homeri.

Sanis ſub horum conſiliis probè
Ars culta cœpit dein ſoboleſcere:
Necnon tuo, [b] Vir Coe, ductu
Auſpiciis animata crevit.

Aſclepii, à quo ducis [c] originem,
Sequax, magiſtrum haud dedecoras; [d] catus
Deprendere, ægri quis ſtatus ſit,
Quis fuerat, quis erit futurus.

Abſtruſioris ſic ſapientiæ
Conſultus, & [e] Diis par propè, calluit
Præſénſque venturúmque tempus
Præteritúmque aperire [f] Calchas.

Tellure natus Cappadocum eminet
Vocum nitore & copiâ, Ionico
Sermone præclarus; minor te,
Coe ſenex, Aretæus uno.

[a] Ιλ. β. ϒ 732. Ιλ. δ'. ϒ 397, 732. [b] Hippocrates. [c] Vit. Hippocrat. per Soran. [d] Horat. Lib. III. Od. xii. ϒ 10. [e] Ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος. Hippocrat. de decent. habit. [f] Homer. Ιλ. α. ϒ 70.

Non te ſilebo, gloria Pergami,
Galene; nec te, Trallibus edite:
Nec Graia quotquot literarum
Terra ferax aluit bonarum.

Ut Roma Græcis invideat minùs,
Celſus Latinorum Hippocrates facit;
Piam diſertâ artem medendi
Expoliens Ciceronis arte.

Laudare plures non vacat; hos ſat eſt
Dixiſſe: amici ne plagiarius
Fortaſſe compilare credar
Hiſtoriam * cineréſque *Freindi*.

Antiqua laudem ſæcula vendicant:
Artis magiſtris ſtet ſua laurea;
Helláſque quos olim erudita,
Quóſque potens Latium creavit.

Recens ſed ætas noſtra tulit viros;
Hanc qui palæſtram non ſinè gloriâ
Ingreſſi, honeſtæ majus arti
Et pretium & decus addiderunt.

Ignota ſæc'lis quippe prioribus
Excogitârunt plurima poſteri
Inventa: & *Harveius* latentem
Sanguinis expoſuit meatum.

Britanna nunquam gens caruit viris,
Artem medendi qui colerent; quibus
Tulit bonarum literarum
Natio nulla peritiores.

Hos inter extat *Linacrus*, & domi
Foríſque clarus non minùs: & ſciens

* Hiſtory of Phyſick.

Graiæ

Graiæ ac Latinæ diſciplinæ
Jungere opes medicos in uſus.

Interprete illo fertilis artium
Migravit ad nos Græcia: vocibus
Qui reddidit Græcos Latinis
Aſtronomos [a] Medicóſque [b] primus.

Caium, atque plures quid celebrem? annuus
Evangeliſtæ quos [c] *Medici* die
Recenſet Orator diſerto
Eloquio, Ciceronis inſtar.

Inter ſodales Pæonii gregis,
O quàm libenter te memorem! tuam,
Hollinſe, qui non æquus audis,
Quam ſat habes meruiſſe, laudem.

Tuæ ſalutis prodigus, omnium
Dum tu ſaluti ſollicitus caves;
Promtámque te dum multus æger
Orat opem, recipítque certam;

Dum tu nec ullâ paſſim opifer die
Nec nocte ceſſas; nonnihil otii
Negotioſo ſi ſuperſit,
Quod libeat tibi perdidiſſe;

Fronte hos benignâ verſiculos lege,
Hollinſe, grati pignora pectoris.
Tu damna amicorum rependis,
Quos mihi mors violens ademit.

[a] Procli Sphæra 1499. Vide Annal. Typ. tom. I. p. 360. [b] Galen. de tuend. Valetud. 1517. Annal. Typ. tom. II. p. 298. [c] D. Lucæ. quo die oratio ſolennis in Medicorum Londinenſium theatro habetur.

Converſa

Converſa ex Græcis ARETÆI.

Faber lignarius Phreniticus. *Cauſ. Diut. lib.* i. *cap.* 6.

QUIDAM (ut fama refert) opifex lignarius artem
Exercere domi, metiri ligna, ſecare,
Complanare, aptè clavis compingere nôrat.
Callebat nemo ſtruere hôc ſolertior ædes.
Hic ſiquando aliis operam fortaſſe locaret;
Sermones conferre unà, ſignaréque pacta,
Et juſto ſcîbat pretio penſare laborem;
Mente uſus ſanâ, & rectâ ratione, modóque.
At ſi fortè forum petat, aut ſi balnea, quovìs
Aut aliò prodire velit; fabrilia ponens
Inſtrumenta, imo gemitus de pectore primùm
Mittit; deinde humerum egrediens adducit utrumque.
Longiùs abs opere atque domo famulíſque profectus,
Imbibit in venas rabiem: ſubitóque furore
Correptus, ſeſe atque ſuam obliviſcitur artem.
Paulò pòſt iterum ad ſua tecta reverſus & ad ſe,
Amiſſum priſcæ rationis repperit uſum.
Mens viſa eſt mutare ſuam cum corpore ſedem.

Ex eodem.

Leproſi. *lib.* ii. *cap.* 13.

HOC morbo, quo non eſt exitialior alter,
Infectum affines fugiunt, natúſque, patérque;
Vicinæque cavent omnes contagia peſtis.
Cogitur à patriis errare penatibus exul.
Ad loca montana humanóque carentia cultu
Pellitur: & breve quod ſupereſt miſerabilis ævi,
Nonnihil ad victum huic ſiquis fortaſſe miniſtret,

Æger

Æger agit; vel pertæſus vitæque ſuíque,
Ipſe ſibi accelerat mortem finémque malorum.
Leproſus quidam fertur deſerta, ſalutem
Deſperans, adiiſſe; &, cùm ſcelerata latebris
Vipera prodiret, preſſus morbóque faméque,
Decretâ jam morte ferox, avidúſque ruinæ,
Turpe malum mutâſſe malo; vivámque vorâſſe
Serpentem, & toto ſparſiſſe in corpore virus;
Nec miſer interiiſſe priùs, quàm putrida fœdo
Lapſa minutatim vidiſſet membra veneno.
Vitam aufert aliis, aliis ſed vipera reddit.
Quod narrabo, fidem faciet tibi. Vipera repſit
Fortè cadum in muſti; deſpumatóque veneno
Infecit dulces mox plùs ſatìs ebria ſuccos:
Præcluſo & tandem expiravit gutture vitam.
Quidam ibi leproſus, cupiens vitámque leprámque
Exuere inviſam, muſto ſe proluit: hauſtam
Infudit venis tabem; & languentia membra
Stravit humi, expectans, quam mox dent toxica, mortem.
Ebrius admiſit ſomnum: tandémque ſopore
Excuſſo ſenſit vires valuiſſe veneni.
Defluxere pili, atque ungues, digitíque: ſolutos
Lurida putredo cunctos vitiaverat artus.
Cùm nonnulla tamen ſupereſſent ſemina vitæ;
Quamlibet inductam recipit ceu cera figuram,
Sic totus, naturâ iterum formante, renaſci
Viſus homo eſt: cœpere novi ſuccreſcere crines,
Unguéſque; & poſitis (ſerpentis more) juventam
Induit exuviis; purâ artus carne teguntur;
Alter homo & renovat melioris initia vitæ.

Ad GULIELMUM STRATFORD D. D. Ædis Chriſti olim Canonicum.

WILHELME amicis charior omnibus;
Cujus juventus, in celebri ſcholâ
Elizæ, honeſtos docta mores,
Et ſtudiis bene culta crevit;

Dum certat, Aulæ limina quis prior
Novæ oſculetur, turba Quiritium;
Feſtinus ut Mithræ recentes
Perſa ſui radios adorat;

Caves tumultu tu procul Aulico
Periculoſæ plenum opus aleæ
Vitare tutus: téque ſortis
Subtrahis inſidiis doloſæ.

Sui potentem gloria non capit
Perfuſa fuco: conditionibus
Diſſentiens fœdis, honores
Rejicit arte malâ parandos.

Contenta parvo, & ponderibus ſuis
Librata, nunquam mens ſibi diſcrepat:
Virtute ſe involvit; nec ullis
Blanditiiſve miniſve cedit.

Non ille amicos transfuga deſerit:
Fidémque pactam haud fallere pertinax,
Mavult malis obnitier, quàm
Poſthabuiſſe opibus pudorem.

Quicunque cæcæ ludibrium Deæ
Debet; tremens ſtet culmine lubrico:
Inter metum & ſpem diſtrahatur;
Nocte, die, vigil, inquietus.

Tranquil-

Tranquilliorem vitam agis, & lucro
Apponis ævum, tempora dividens
Inter tuos & te: nec hora
Ulla tibi perit otioſa.

Poſtquam ſoluta eſt acris hyems vice
Veris, fugatis imbribus; accipit
Te villa fœlix: creditíque
Cura gregis tibi pectus implet.

Finem ſub anni, matrem Academiam
Ædémque Chriſti (Socratico ſinu
Quæ te decus magnum ſuorum,
Méque aluit minimum) reviſis.

Quum bruma ſtridens ſævit, & urbicis
Blandam quietem atque otia ruſtica
Negotiis mutare cogit;
Rure migras, aditurus urbem.

Rerum geratur quid foris aut domi,
Audire curas; non nimis anxius,
Regni penès quem ſumma ſit; quid
Aula agitet, Stephaníque fanum.

Tuis amicis, quos tibi plurimos
Sermo facetus conciliat, fides,
Vena ingenî, morúmque candor,
Copia fit propiùs fruendi.

Hos inter extat [a] Vir meritis valens,
Et laude major: qui titulis ſuis
Dat dignitatem; quémque alumnum
Oxonium Comitémque jactat.

Actæ ille fauſtis ominibus memor
Intrà tua olim tecta [b] puer'tiæ,

[a] Comes Oxonienſis nuper defunctus. [b] Horat. Lib. I. Od. xxxvi. ℣ 8.

Grates tibi juſtas rependit:
Téque alium colit ut parentem.

Accedo amicis infimus; at vetus,
Fidúſque: qui te, qui ſimiles tui
Amplector; & ſolos ſtudebo
Te ſimiléſque tui æmulari.

Quàm ſit tua in me, Prime ſodalium,
Semper voluntas prona, reponitur
In mente fixum altâ; meíſque
Quàm ſoleas ſtudiis favere.

Referre noſtræ non opis eſt parî
Par: ſed preces ſiquid valeant; DEUS
Donet tibi, quæcunque poſſit
Vir probus & cupere & mereri.

Ad JOHANNEM GUISE, Tribunum Militum; de ipſius in patriam reditu, 1728, Maii. 10.

CULTOR bonarum Guiſius artium;
Ornare novit qui patriam domi,
Foris tueri; eſt utriuſque
Impiger ad ſtudium Minervæ.

Siquando poſcat publica opem ſalus;
Hunc non moratur cura domeſticæ
Rei: nec uxor liberíve
Hunc retrahunt, abitus parantem,

Virum tenacem propoſiti ſua
Virtus repulſæ neſcia ſuſtinet
Victricibus pennis; apertum huic
Pandit iter per acuta belli.

Fruſtra obſtinatus milite plurimo
Calpen Iberus nititur arduam

Perrum-

Perrumpere: adſunt Guiſianæ
Suppetiæ, prohibéntque vinci.

Tandem laborum victor & hoſtium
Domum reducit, quas avibus bonis
Eduxerat, cœlo Britanno
Redditus, emeritas cohortes.

Britanna, Guiſi, dum tibi civicam
Gens laurum, honores dum tibi debitos
Decernit; haud ſpernes amicum,
Quod properat tibi Muſa, carmen.

FABULA, quam Gallicam ſcripſit ingenioſiſſimus JOANNES DE LA FONTAINE, metris Anacreonticis liberioribus reddita.

Ἔρως καὶ Μωσία.

Ἔρως ποτὲ Μωσία τε
Φιλοπαίγμονες ξυνήθοι,
Ὁμῦ ἔπαισδον ἄμφω.
Τὸ παίγνιον ᾗ ἐνῖες,
Ἔρευν τε ξυμβαλόντες
Ταῖς χερσὶ ξυμπλάκησαν.
Μωσία πυγμαχοῦσα
Ἔρωτα ταραλίζει·
Τύπτουσα ᾗ τῦ μέτωπον,
Ὀφθαλμὸς ἐξορύτλει.
Ὀλόλυξε δεινὸν ὄσσε,
Ἠθήσαθ' ὡς κελαινὸν
Σκότῳ ὅσε ξυκαλύψαν.
Τῶν ὀμμάτων ᾗ κύκλος
Πηρός τε χ' αἱματοῦντας
Ἔδειξε, μαλεί τ' εἶπεν·
Ὄλωλα, χ' ἀποθνήσκειν
Ἄμεινον ἢ τυφλοῦσθαι.
Πρὸς Ὄλυμπον ἦε Κύπρις·
Λέγουσα πᾶν τὸ ξυμβὰν
Θεῶν τε κ' θεαινῶν
Παινηγύρει, δικαίαν
Τιμωρίαν ἀπήτει.
Ἑρμῆν Κρονίδης ἀνώγει
Ἀγαγόντα ξυκαλέσαι
Ἔρωτα Μωσίαν τε.

Ἔρως ὁ παῖς Κυθήρης
Μελὰ δακρύων, ὀδυρμῶν,
Ἔφη βαθὺ σπαράζων·
Ζεῦ, βλέψον, ὡς μ' ἔτρωσε
Μωρία δὴς κακουργός·
Καλαφάτοις τ' ὄνυξι
Χήρωστε φωτὸς ὄψεις.
Ἡ δ' εἶπε· Ζεῦ, ἄκουσον.
Τῷ παιγνίῳ μελαξῷ
Καλακακείῳ βελέμνῳ
Μ' ἔτυψ' Ἔρως πανώλης,
Δύσερως κάκιστος ὤν.

Ἔπειτα ὁ φρενοπλὴξ,
Πονοῦσα, κ᾽ μανεῖσα,
Ἐκεῖνον ἀνέτυψα.
Ὁ Ζεὺς δυοῖν ἀκούσας,
Ψήφισμα τοῦτ' ἔθηκε·
Ὃν Μωρία τύφλωσεν,
Ὁδηγείτω Ἔρωτα.
Ἐκ καιροῦ ἦν ἐκεῖνο,
Καλὰ ψήφισμα Διὸς,
Ὁδηγός ἐστιν αἰεὶ
Ἡ Μωρία Ἔρωτος.

Ad Nobilem Virum JOHANNEM CARTERET, cùm Hibernici Locum-tenentis munere fungeretur.

TE, cui ſunt Anglæ commiſſa negotia gentis,
(Hæc etenim meliùs te nemo intelligit uno)
Si ſermone morer longo, in tua tempora peccem.
Anne vacat curáſque jocis & ſeria nugis
(Sed nugas docti quis dicat verba Platonis?)
Laxare, & Graiis animum oblectare Camœnis?
Quam Plato fabellam lepido ſale finxit, in aures
Deſcendat, *Vir Docte*, tuas. Hanc, otia fallens,
Verſibus incluſi brevibus: queis Teïus author.
Hæc volui. Gaude, & bene rem gere: vive, valéque.
Vati ignoſce rudi mihi: ſed nec ſperne Platonem.

Μῦθος τῦ Πόρυ καὶ Πενίας ἐκ τῦ Συμποσίυ τῦ * Πλάτωνος τοῖς Ἀνακρεοντείοις ἔπεσι μεταφρασθείς.

Θεοί ποτ', Ἀφροδίτης
Γενέθλι' ὄφρ' ἄγωσι,
Πάντες Διὸς καλῦντος
Ξυνῆλθον εἰς Ὄλυμπον.
Τᾶς Μήτιδος δ' ἀμύμων
Υἱὸς Πόρος ζυὶ ἄλλοις
Ἀνακείμενος θεοῖσι
Μέτεχε δαιτὸς ἴσης.
Μετ' ἐδητὸν ὅτε δεῖπνον
Πόσιος τ' ἐδητύος τ' ἆξ
Ἔσον ἔνλο, παὶς θύρηνδε
Πενία ταχεῖσα πείνη,
Ῥυπῶσα, τ' ἐδωδῆς
Ὀλίγον τι κλᾶσμ' ἀπήτει.
Νέκλας Πόρος πεπωκὼς
(Οἶνος γὸρ οὐκ ἔτ' ἦεν)
Ἐν ἀνθεμῶνι κήπῳ
Διὸς πάροιθεν αὐλῆς
Βεβαρημένος καθῆυδεν.
Πενία τυχοῦσα καιρῦ,
Δοίαιτ' ἂν ὡς ἑαυτῆς
Κακῶν ἀπαλλαγῆναι,
Πυκινὸν ζυοπῦσα βυλὸν,
Πόρῳ καλακλιθεῖσα,
Ἐκύπτ' Ἔρωτα. Χ' ὅτι
Γενεθλίοις Κυθήρης
Ἐν ἡμέρῃσι γλυήθη,
Ἀκόλυθος ὢν ἔπειτ' ἦν
Θεράπων τε τ' θεαίνης.
Ὅς τ' ἐξ ἀμφοῖν ἐτέχθη,
Τεκόντος ἢ τεκύσης,
Φύσιν οἱ διπλῆν ἔχυσι,
Διφυὴς κ' ἀμφοῖνός ἐστι,
Διπλῆν φύσιν λελογχώς.
Πενίης μὲν υἱὸς ἐστί,
Πένης, ἀεί τε ζυλεὸς,
Χαμαιπετὴς, ἄοικος,
Αὐχμηρὸς, ἀνυπόδητος,
Ἄστρωτος· ἐν δ' ὁδοῖσιν
Ὑπαυθρίοις θύραις τε
Κοιμώμενος, ἄθλιός τε
Ἐνδείᾳ τε ξυνοικος,
Μητρὸς φύσιν φυλάττει.
Ἀλλ' υἱὸς ὢν Πόροιο,
Ἐπίβυλός ἐστι καλοῖς,
Ἀνδρεῖος, αὐθάδης τε,
Ἴτης, γόης τε δεινὸς,
Καὶ ζωύτονος, ζοφιστὴς,

* Edit. H. Steph. 1578. p. 203.

Τίνα

Τίνα μηχανὴν μὴ αἰεὶ
Πλέκων, αἰεὶ πανοῦργος,
Πόρμός τε, φαρμακός τε,
Φιλόσοφος, θηρατής τε,
Φρονήσεως ἐραστής.

Οὐκ ἀθάνατος ὃ πάμπαν
Πέφυκεν, ὐδ' ἀνηλός.
Οὕτως Ἔρως μεταξὺ
Παλευκῆς τε μηλευκῆς τε
(Ὡς ἀμφίβιόν τι) ζωὴν
Φύσεως μέσος μερίζει.

Ad eundem.

Νυκτὸς μέσης ποθ' ὥρας
Οὕτως λαλεῖν ἐμαυτῷ
Κοιμωμένῳ ἔδοξα.
Θέλω λέγειν Ὅμηρον,
Δημοσθένην τ' ἀείδειν,
Λύρην τ' Ἀνακρέοντος,
Καὶ Θουκυδίδην ἐμοῖσι
Σύριγγα δακτύλοισι
Κρούειν πνέουσαν ἀδύ.
Ἐμ' ἀλλά τις διδάξει,
Ἔφην, λέγειν Ὅμηρον
Μέγαν, θέντ' ἀείδειν
Δημοσθένους, λύρην τε
Κρούειν Ἀνακρέοντος,
Σύριγγα καὶ μελῳδοὺς
Θουκυδίδου λιγείαν.
Φοῖβος δ' ἅπασάθεις μοι
Ὤφθη, λόγους τε τοίους
Ἔφθεγξε· Μὴ μελήσῃ,
Ἄπελθε πρὸς μαθητὴν
Ἐμόν τε καὶ Ἀθηνᾶς,
Τὸν Ἑλλάδος κεφαλῆλα,
Ἑλληνικῆς τε γλώττης·
Τὸν ῥητόρων ἀπάντων,
Ποιητέων θ' ἁπάντων
Ἐμπειρίην ἔχοντα.
Τίς ἐστι, Φοῖβε, δεῖξον,
Ἀνὴρ ὅ σοι ὅμοιος,
Ὃ σεῖο καὶ Ἀθηνᾶς
Ἑλληνικὸς μαθητής.
Ἀπεκρίθη δ' ὁ Φοῖβος·
Εὔγνωστός ἐστιν ὦδε,
Εὔσημος, ἐμφανής τε·
Ἐν εἴκοσιν μάθοις νιν.
Καλὸν πρόσωπον· αὐδὴ,
Ὡς Νέστορος, γλυκεῖα·
Πῦρ ὄμμασιν κάθηται)
Κιρνώμενον γαλήνῃ.
Ἀλλ' ἴθι μοι ἀνδρὸς εἰπέ.
Ἀπεκρίθη μετ' ὀργῆς·
Τὶς εἶς; πόθεν; πόλις τίς;
Τὶς ξεῖνος εἰν Ἀθηνάων
Οὐκ οἶδε ΚΑΡΤΕΡΕΤΤΟΝ;

Ad

Ad eundem.

Φύσις φρένημα παύρεσις
Ἔδωκε· κάλλος ἄλλους,
Ἄλλους φωνὴν λιγεῖαν.
Μόνους ἔδωκε σεῖο
Γυναικὶ καὶ θυγατρὶ
Κάλλος, φρένημα, φωνήν.
Νικᾷ ὃ κάλλος αὐτῶν,
Νικᾷ ὃ φωνὴ αὐτῶν;
Νικᾷ ὃ καὶ φρένημα
Ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας.

Χαρίεσσα Καρτερετται
Λέχος τε σεῖο τέρπῃ,
Κοσμεῖ τε σὸν τραπέζαν.
Θεοεικέλῳ προσώπῳ,
Μύθοις φίλοις, γλυκείῃ
Φωνῇ λύπας ἀπείργει.
Σὲ δοκεῖ θρεπλέκυσα,
Ἰσοκράτης μέλιτταν,
Δημοσθένης τε κάρλος,
Καὶ ἀστραπὴν Περίκλης
Ἐν ἀγκάλαις δέχεσθ.

Ἀνακρέων ποιητὴς
Ἐρασμίην πέλειαν
Ἐπιστολὰς φέρουσαν
Πρὸς τὰς φίλας ἔπεμψε.
Κἂν σὺ ἔχω πέλειαν,
Ἣν πρός σε, Καρτερετται,
Πέμποιμ', ὅμως βραχεῖαν
Ἐπιστολὴν ἔπεμψα
Λαλιν ικὴν· καὶ (ὅτι
Ἐν πᾶσιν εἷς φιλέλλην)
Μελύδριον μετ' αὐτῆς
Ἔπεμψα· τοῦθ' ὅμοιον
Μέτρῃς Ἀνακρέοντος.
Ἴσως μοῦ, ἢν ἐρωτᾷς,
Ἐπιστολή τι σεῖο,
Μελύδριόν τε τοῦτο
Φέρουσι τέρπνον ἡμῖν;
Ἄκουε, Καρτερετται·
Οὐκ ἄλλο τερπνόν ἐστιν,
Οὐκ εὐχόμεθα μᾶλλον,
Ἀλλ' ἢ σε, Καρτερετται,
Τὸν Ἑλλάδος κεφαλῆν,
Τὴν Ἀθηνᾶς μέλιτταν,
Τὸν Μουσέων ἁπασῶν
Ἀρχηγὸν, ἡδύγλωττον,
Πολλοῦ χρόνον βιῶναι.

Μῦθος

Μῦθ. ἐκ τ. * Πλάτωνος Διαλόγ. Ἑβδομ. Πολιτικ.

Σπηλαῖόν τινες ἄνθρωποι καλάγειον ἐνῴκισν·
Εἴσοδος ἥ πρὸς φῶς ἀναπέπαλο πάντθε μακρράν.
Ἐκ παίδων μὲν ἐκεῖ κραιεργῖς δεσμοῖσι δέονλο
Αὐχένας ἠὲ πόδας· μόνον εἰς τὸ πρόσθεν ὁρᾶᾳ,
Ἀλλ' ὐ τὰς κεφαλὰς ἀγέμεν κύκλῳ ἐδυνάνλο.
Τῶν ᾗ ὄπισθεν ἔλαμπε πυρὸς φῶς αἰθομένοιο
Πόρρωθεν κὴ ἄνωθεν· ὁδὸς τ' ἐπάνωθι μελαξὺ
Δεσμωτῶν καὶ τῆδε πυρός· ὣδὰ τειχίον ἔσκ.
Πολλοὶ δ' ἄνθρωποι ὣδὰ τῦτο τὸ τειχίον ἦσαν
Παντοδαπὰ σκεύη, λιθίνων ξυλίνων τε φέροντες
Ζώων εἰκόνας· οἱ δ' ἐνδὸν δεσμῶται ὁρῶντο
Ἀλλ' ὐδέν, πλὴν τῶν ᾗ σκιὰς ἀντικρὺ φανείσας.
Εἰδὲ πρὸς ἄλλα δεσμωτῶν ἀνένεικέ τις ἠχὼ
Φωνὰς τῶν παριόντων, ἐάμβησαν μάλα πάντες
Αἰφνιδίως, μύνας τε σκιὰς ᾤοντο λαλῆσαι.

Εἴ ᾗ τις ἐκ δεσμῶν, οἷς ἐσφηκῶτο, λυθείη,
Καὶ κεφαλὴν ὦφελίξειεν, περβιβάς τε πρὸς αὐτὸ
Φῶς ἀναβλέψειεν, σκαλεπῶς ὀδυνώμενος ἀλγεῖ
Ὀφθαλμὺς διὰ μαρμαρυγάς. Μετέπειτα ᾗ πρὸς φῶς
Ἡλίῳ ἑλκόμενος λαμπρὸν, τυφλόμενος αὐγῇ
Οὐ δύνατ' ἀντιβλέπειν ἀληῖσιν λαμπομένοισι.
Ὅτε σκυνθείη, καὶ πρῶτον ἐν ὕδασιν, εἶτα
Ἥλιον καλιδεῖν, οἷός τ' ἐσιν, καθορᾶᾳ
Εἰώθει, ἀναμνησθεὶς οἴκησίν τε παλαιὰν
Καὶ ξυνδεσμώτας, βίοτόν τε καὶ ἦθεα τύτων,

* Pag. 514.

Εἰ

Τᾶτ' ἐλέαιρε βροτῶν γλῶς ἄθλιον· αὐτὰς ἑαυτὸν
Εὐαιῶν' ἐνόμιζε μελαλλάξαντα γλυκάς.
Εἰ πάλιν εἰς ἀσηλαῖον ὁ τοιοῦτος καταβαίη
Ἐξαίφνης ἐξ ἡλίου ἥκων παμφανόωντος,
Ὄμματα νὺξ αὐτὸν ἐρεβεννὴ ἀμφικαλύπτει.
Εἰ δὲ καὶ τῶνδε σκιῶν σὺν δεσμώτῃσιν ἐκείνοις
Συμφεύξαιτο, καὶ ὡς αὐτὸν συγερὸς σκότος εἷλε,
Ἄσβεσον λαλέων πάντεσσι γέλωτα παρέξει·
Τὸν ὃ καὶ ἐμπαίξουσιν ἀνειδείοις ἐπέεσσι,
Ὡς ἀναβὰς μὴ ἄνω ἐφθαρμένος ὄσσε ἐπανέλθοι.
Ψηφίσαντο δ' ἐκεῖνοι, ὅτ' ἐς σφὰς ἄξιον ἐξῆς
Πειρᾶσθαι ἀναβῆναι· ἐπιχειρήσαντα λύειν τε
Καὶ ἀνάγειν (εἴπως τινὰ τολμήσαντα δυώσιν
Χερσὶ λαβεῖν) ἄϊδι περιάπτεσθαι σκέλεσιν.
Σπηλαίῳ φύσις ἡμετέρη σκοτόεντι ἔοικεν·
Ἡμεῖς δεσμοῖσιν πεπεδημένοι ἐσμὲν ἀνοίας.
Ἀλλ' ὅταν εἰς γνῶσιν τοῦ Ὄντος ἀληθέος ἔλθοι
Ψυχὴ, ἐλευθερίην δίψασα λυθεῖσά τε δεσμῶν
Ἀθανάτου ποτὶ φῶς ἀναβήσεται ἔλυμπόν τε.

Ἐκ Διαλόγ. Ἐκλ. Πολιτικ.*

ΝΑύκληρος μεγέθει καὶ ῥώμῃ ὑπέρτατος ἦεν,
Ἀλλ' ὑπόκωφος, ὀρῶν βραχὺ, καὶ πρὸς ναυτικὰ ἄϊδρις.
Ναῦται δ' ἐσασίαζον· ἕκαστός τ' οὐδὲν κυβερνᾶν
Βέλτιο, μήτε μαθὼν τέχνην, εἶναί τε διδακτὸν
Ἀρνῶν, ἀντιλέγοντ' ἔνοχον θανάτοιο νομίζων.

* Pag. 488.

Πάντες ὁμῶ ναύκληρον, ὅπως ϛφίσι πηδάλιον δῷ,
Πείθωσιν· καί μιν μὴ πείθεωϛ ἐθέλοντα
Μανδραγόρᾳ μεθύσαντες, νηὸς ἔπειτα λαβόντες
Ἀρχῶ, πάντα ποιῶσιν, ὅσ' αὐτοῖς ἐσὶν ἀρεσόν.

Ἐκ Διαλόγ. Πρώτ. Πολιτικ.[a]

ΘΝητοὶ ὅτ' ἐγγύθεν εἰσὶν ὁμόφυοι θανέεωϛ,
Ἀθενέες θ' ὑπὸ τῶ γήρως νόσω τε βαρείης,
Ἀργαλέη καρδίην αἰρεῖ φρονντίς τε δέος τε.
Οἱ μῦθοι ωδὲ τῷ κάτω εἶν ἀΐδαο δόμοισι,
Οὓς πάρος ἀφραδέοντες ἢ γελόωντες ἄκουσαν,
Ὡς ἀδικῶντα δίκην δόμφαι δεῖ, στήθεσιν αὐτῷ
Ἐμβάλλουσι φόβον· τότε δ' ἀμείσκοντες ἑαυτῷ
Πολλ' ἀδικήματα, δειμαίνοντες ἢ τρομέοντες,
Πάμπαν ἀπελπίζοντες, ἐὴν καθορῶσι τελευτήν.
Ἀλλ' ἄδικον θνητοῖσι ϛωικτόσι μηδὲν ἑαυτοῖς
Ἐλπὶς ἀεὶ ἡδεῖα πάρεσιν, γηρολέφος τε
Καλή· ὡς αὐτὸς καταπύστως Πίνδαρος ᾄδει·
" Ὅσις ζῇ ὁσίως, γηρολέφος ἡδὲ γλυκεῖα
" Ἐλπὶς ἀγάλλοισα καρδίην οἱ, ἅτε κυβερνᾷ
" Τὰς θνατῶ γνώμας τε τροπάς τε, ϛωάορός ἐσι.

Ἐκ Διαλόγ. Δευτέρ. Πολιτικ.[b]

ΗΝ Γύγης ποιμὴν, ὧδὰ τῷ Λυδῶν βασιλῆϊ
Θητεύων· πολλῷ ὄμβρῳ ϛεισμῷ τε ῥαγείσης
Γαίης, ἀθρήσας μέγ' ἐθαύμασε χάσμα φρεάζ.
Καὶ καταβὰς, ἐνὶ χάσμα' ἐκείνῳ ἐώρακεν ἵππον

[a] Pag. 330. [b] Pag. 359.

Κοῖλον

Κοῖλον χάλκειον, θύρελ' ἐν πλευρῇσιν ἔχουλα·
Ἐγκύψας μὴ ὑπερμεγεθὴ νεκρὸν εἶδε, φέρουλα
Δακτύλιον χρυσῆν θεὶ χειρί· τὸν ἔλλαβεν ἐκβάς.
Ὅτε ὃ καιρὸς ἐπῆλθ', ἵνα ποιμένες (ὡς ἔθος ἦεν)
Πάντες ὁμῆ καθ' ἕκαστον μῆν' ἀποδῶσιν ἀληθῆ
Τῷ βασιλῆϊ λόγον θεὶ ποίμνια· καὐτὸς ὁ Γύγης
Ἦκεν, δακτύλιόν τε φέρων ἐκάθητο μετ' ἄλλων.
Σφενδόνη εἵπετ' ἐδακτυλίῃ εἴσω ζωάγοιτο,
Αὐτίκα πᾶσ' ἀφανὴς Γύγης γένετ'· ἦν χερὸς ἔξω
Στρέψας πᾶσι πάλιν φαίνατ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶσθαι.
Ἄγγελος ἓν περὶ τὸν βασιλῆα τεταγμένος, αὐτῷ
Δακτυλίῃ φαεινῇ σύνεζετο πὰρ βασιλείῃ·
Τῆς δὴ ἐφημοσύνῃσιν τὸν βασιλῆα κατέκτα,
Οὗ κλαυθμὸν Λυδῶν ἀρχὴν μετέπειτα κατέσχε.

Ἐκ Διαλόγ. Τρίτ. Πολιτικ.*

Πλατόμενοι ὑπὸ γῆς ἦσαν πάντες τε τεραφέντες·
Γῆ μήτης αὐτῶς ἐξεισαφάνιας ἀνῆκε.
Τὰς ἄρα δεῖ, ὥσπερ περὶ τὰ μητρός τε τροφῶ τε
Τῆς χώρας βουλεύσας, περὶ τῶν ὑπ' πολιτῶν
Ὡσπερ γηγενέων καὶ ἀδελφῶν διανοεῖσθαι.
Ἀλλ' ὁ θεὸς πλάτων, ἱκανοὶ ὅσοι ἀρχέμεν εἰσὶ,
Ἐν χρυσῷ αὐτοῖς χρυσὸν ζωέμιξ', ὑπικόροις
Ἄργυρον, ἢ λοιποῖς τεχνίταις ἠδὲ γεωργοῖς
Πάντεσσιν χαλκῶ δῶκεν μέρος ἠὲ σιδήρου.
Ἀργύρεον ὑπ' ποτ' ἐν χρυσῷ γίνετ' ἔκγονον, ἢ ὑξ
Ἀργυρέου χρυσῆν· καὶ ὕτως τ' ἄλλα παραλλάξ.

* Pag. 414.

Ἄρχουσιν Θεὸς ἓν Ἑπτέλλῃ, ὄφρα ἴδωσιν,
Ἔκγονοι ἐν ψυχαῖς τι μεμιγμένον ἔνδον ἔχωσι.
Ἔκγονος εἰ ὑποχαλκος ἔοι τις ἢ ὑποσίδηρος,
Πέμψασ' αὐτὸν προς τεχνίτας ἢὲ γεωργούς.
Εἴ τις ὑποχρυσος μοὶ ἔοι ἢ ὑπαργυρος, αὐτὸν
Τιμήσαντες ἀνάξουσιν, δώσουσί τε μισθὸν
Ἄξιον· ἄρχοντ' ἢ Ἑπτάκωμον ποιήσαντες.
Φασὶ παλαιὸν ἔμμεν χρησμόν· ταύτην πόλιν, ἄρχων
Ἥς ἢ χάλκεος ἢὲ σιδήρεος ἔσται, ὀλεῖται.
Οὐ μοὶ Ἀθηναίης μύθῳ πείσεαι οἴῳ·
Ἀλλ' ἡμεῖς τούτων γε τὰς γλυφὰς Ἑπτάσας.

Ad eundem.

ME, Clariſſime Vir, finis benignus
Tuæ ſæpius aſſidere menſæ,
Tuis colloquiis & intereſſe:
Queis nil doctius, elegantiúſve;
Nil terſum magìs, & magìs facetum;
Nil inſuave minùs, minùs coactum:
Nil plenum magè fruge literatâ;
Nil Graium magìs, & magìs Latinum.
Me novi & modulum meum: nec auſim
Libertate datâ nimis frequenter
Uti. Cùm tibi commodum ſit, utar.
Siquando jubeas tuis miniſtram
Nonnunquam ſtudiis adeſſe opellam;
Obſequi imperiis paratiorem
Me nullum invenies. Gnathonis inſtar,
(Qualem fabula dat Terentiana)
Non poſcam, locus ut ſit * invocato.

* Terent. Eunuch. Act. V. Sc. X. ℣ 11.

Si vaces tibi, ſi vaces amicis,
Siquid te teneat negotioſum,
Nolo obtrudere me. Satìs putabo
Me functum officio meo fuiſſe,
Si mittam tibi ſedulus ſalutem:
Sat pulsâſſe fores: libens recedam.

Ad Honoratum Juvenem ROBERTUM CARTERET, Arm^um^. à ſuâ peregrinatione in patriam reverſum.

ROBERTE, claris orte parentibus,
Deſideratum te mihi, te tuis,
Cœlo redonatum Britanno
Excipiunt patrii Penates.

Gentes adîſti finitimas Scythis,
Priſco feroces tempore, barbaras;
Doctáſque cultum humaniorem
Auſpiciis melioris ævi.

Quod nationes ſcire apud exteras
Vitæ expedit vel moribus (indoli
Siquid tuæ plus poſſit addi)
Colligis, atque domum reportas.

Sic poſt procellas & rabiem maris,
Emenſa longum navis iter ſuos
Tandem peregrinis reviſit
Divitiis onerata portus.

Hinc, civitatem quis deceat ſtatus,
Condiſce; civem quid deceat probum,
Tenere qui ſe partibus ſcit
In dubiis variiſque rectum.

Sed parce, de te ſollicitus nimis
Si ſim; ſatìs per te ſapis: & duce
Ubi indigebis, te docebit
Nemo tuo meliùs Parente.

Scit ille munus nam bene publicas
Res ordinandi, conſilio potens
Linguâque. Quid poſſit ſub illo
Mentore Telemachus vereri?

Ad RICHARDUM ELLYS, Bar^tum.

IAMBE velox, conveni *Ellyſium* meum.
(Scazonte [a] Martialis es velocior)
Et ſi vacabit (occupato, nolo, ſis
Moleſtus) à me dic ſalutem plurimam.
Si te receptum fronte blandâ videris,
Epiſtolarem hanc da probo chartam viro;
Cui diſplicere non meæ nugæ ſolent.
Riſum excitabunt fortè verſus ludicri:
Et ſic placebunt. Nil moror; placeant modò,
Reſiſte paulùm, Iambe; namque eſt pluſculum;
Quod imperem tibi. Dic Viro chariſſimo,
Me plùs eum diligere viſceribus meis.
Sic olim amabat ipſe [b] Mecænas ſuos.
I, curre: quid diutius nectis moras?
Iambe velox, conveni *Ellyſium* meum.

[a] Martial. lib. vii. epig. 26. [b] Lege Horat. Vit. è Sueton.

Ad

Ad BARTONUM BOOTH, Eximium in Britannico Theatro Actorem.

QUALEM magiſtrum vocis & arbitrum
Geſtûs honeſti (cui meritum decus
Et hiſtriones in Latinos
Ars peperit ſua principatum)

Romana vidit natio Roſcium,
Mentes potentem flectere, plauſibus
Clamoſa cùm Plebis Patrúmque
Undique conſtreperent theatra;

Qualémve pridem gens Italâ haud minor
Ne Roſcio ipſi cedere credidit
Britanna *Bettertonum* (in ore
Tanta aderat gravitas venuſto),

His te magiſtris, voce pari, pari,
Bartone, greſſu, ſæpius æmulum,
Fultum Sophocleo cothurno,
Vidimus, audiimus ſtupentes:

Sive ore pleno rite ſonantia
Shak'sperianæ verba poëſeos
Pronunciares; ſive atrocem
Induers animum Catonis.

Olim locutum ſic Periclem puto,
Moviſſe ſenſus ſic popularium:
Seu civicos ſedare motus,
Seu populos reſides ad arma

Ciere, fixis intus aculeis,
Vellet, loquelæ callidus artifex;
Audiveris quem ſi loquentem,
Credideris micuiſſe fulgur.

Te morbus ex quo corripuit gravis,
Bartone, mœrens, auſpiciis tuis
Nudata, ſordet ſcena; quæ te
Stante ſtat, atque cadit cadente.

Noſtris ſeveræ Muſa tragœdiæ
Diu theatris abfuit: in vicem
Venere deriſor Latinus,
Et Thymele, tremulíque mimi.

Hygeîa tandem Mercurialium
Cuſtos virorum te vetuit mori,
Inſtante fato: ſpémque vitæ
Blanda dedit tibi perfruendæ.

Calles, theatrum quis deceat ſtatus.
Qui ſcurra ringit, qui bene ſubſilit,
Res ludicras curent: decet te
Grande nihil niſi ſeriúmque.

Quàm ſæpe ſcenis in Tragicis mihi
Riſum excitavit, dum malè ſuſtinet
Heroa, Therſites. Ineptus
Dedecorat bene ſcripta geſtus.

Tu, ſeu loquaris, ſeu quid agas, places.
Mulcere ſenſus tu potes: intimi
Et expedis cordis receſſus
Per varios tua victor arma.

Plaudens theatrum te revocat: prece
Te [a] *Danus* ambit ſollicitâ; ſuam,
Te [b] *Maurus*, ut demum imminutam
Reſtituas ſibi dignitatem.

Plaudit theatrum: parce tamen nimis
Vitam theatri credere plauſibus;

[a] Hamlet the Prince of Denmark. [b] The Moor of Venice.

Cave,

Cave, redonatum theatrum
Eripiat tibi ne ſalutem.

In FARINELLUM, Italum Cantorem.

MULCERE novit nemo süaviùs:
Tonúmque cantûs nemo diutius
Tractu ſub uno ſpiritûque
Continuare poteſt fluentem.

Scit ore multas promere Muſicæ
Partes eodem: ſive celer notas
Aſſurgit ad ſummas; ad imam
Sive velit reſilire chordam.

Explorat omnes, & variat ſonos:
Tot & ſonorum multiplicat vices;
Artem fides ut nulla miram,
Nulla chelys queat æmulari.

Sic vidi alaudam (dum levis arduum
Seſe gradatim librat ad æthera,
Scandénſque pernici volatu
Linquit humum fugiente pennâ)

Sonum è minutis faucibus edere
Tenore jugi, & ſpargere flexibus
Reciprocis melos canorum
Mille modis liquidas per auras.

Sic *Farinellus* muſicus artifex
Percellit aures attonitas; viam
Tentans inexpertam canendi,
Mille modis iterando vocem.

In CATHARINAM DARNLEY.

VIRGINES inter *Catharina* princeps,
Inter & nuptas *Catharina* primam
Obtinet ſedem: haud face nuptiali
Dignior ulla eſt.
Singulas ditat ſua dos puellas;
Nec ſolet cunctis eadem placere:
Parca Naturæ manus hâc puellâ eſt
Prodiga in unâ.
Fœminas ornat ſua forma multas;
Sed brevis forma eſt fragiliſque: vultûs
Nil nitor prodeſt ſinè mente; inanis
Fallit imago.
Sola non noſtram ſua forma Sappho
Ornat: huic vires animi, omniúmque
Mens capax rerum, ratióque ſexu
Digna virili.
Laudibus Sappho cumulavit Hellas:
Sed fuit tantùm (licèt erudita)
Unius gentis decus, uniúſque
Callida linguæ.
Noſtra ſermonem Latii Helladíſque
Docta conjunxit patrio: invidere
Poſſit hanc nobis meritò vel ipſa
Roma Britannis.
Ob ſuam Sappho celebris poëſin,
Sapphici inventrix ſtudioſa metri,
Erubeſcendo caluiſſe fertur
Semper amore.
Noſtra ſed caſtas ſequitur Camœnas:
Integram vitæ ſceleríſque puram
Donat hanc palmâ, redimítque lauro
Maſcula virtus.

Dona Pandoræ ſua liberales
Diî Deæque omnes dederant: ſed id, quod
Credulis mentita fuit poëſis,
Darnlia præſtat.
Suavibus Pitho ſedet in labellis:
In genis ludunt oculíſque dulces
Gratiæ; atque afflat Cytherea blandos
Frontis honores.
Non tuâ, Laſcive Puer, pharetrâ;
Felle non tinctis eget hæc ſagittis;
Queis ſolet figi in vitium juventus
* Cerea flecti.
Hanc ſuas artes docuere Muſæ;
Hanc ſuis Phœbus ſtudiis polivit:
Allicit ſic nos ſibi literarum
Sedula cultrix.
Summe naturæ Moderator; ævo,
Des, ut extento *Catharina* vivat:
Sint ut & Mater ſimili Patérque
Prole beati.

Arx Ducis RUTLANDIÆ Belvoriana, BELVOIR-CASTLE.

UT Capitolina Arx inſiſtit rupibus, unde
Vicinis ſtatuit jura tremenda locis;
Sic monte in ſummo nil, cœlum præter & aſtra,
Supra ſe cernit *Belvoriana Domus.*
Hæc circumpoſitis latè imperat ardua pagis:
Et ſe, præter HERUM, cuncta minora videt.

* Hort. Art. Poet. ℣ 163.

CHATSWORTH; Ducis DEVONIÆ Domus.

UT videt attonitus, quam non ſperaverat, urbem
E medio Venetam ſurgere nauta mari;
Rupe in ſublimi ſtantem ſic parte ſub imâ
Surgens percellit *Devoniana Domus*.

CIVILES fugiens Scotiæ Regina tumultus
Fertur in antiquâ hâc clauſa fuiſſe Domo.
Hanc ſi vidiſſet, qualis nunc quantáque; vellet
Exilium regno præpoſuiſſe ſuo.
Te, profuga ô Regina, nefas plorare fuiſſet:
Fœlix, meta fugæ cui Paradiſus erat.

CHATSWORTH et HARDWICK; utraque Ducis DEVONIÆ Domus.

HORRIDA Tartarei cernens miracula Pecci,
Plutonem has ſedes incoluiſſe putem.
Chatſworthæ Hardwicæque videns miracula, cœlum
Crediderim duplex hìc habuiſſe Jovem.

HADDON; Ducis RUTLANDIÆ Domus.

GRANDE aliquid ſpirans placet hæc, *Haddona*, ſenectus:
Quam purâ recreat proximus amnis aquâ.
Stas vallo munita, & inexpugnabilis annis;
Saxo, quo nixa es, firmior ipſa tuo.
Sic te commendat facies antiqua; vetuſtæ
Ut commendat *Herum* Nobilitatis honor.
Eſt ſua *Belvoriæ*, eſt *Haddonæ* gratia; magnum
Vallibus hæc decus eſt, montibus illa ſuis.

CHATS-

CHATSWORTHAM HADDONAMQUE loci vicinia junxit:
Semper utrumque Ducem ſic quoque jungat amor.

In Ducem RUTLANDIÆ, Cancellarii Ducatûs *Lancaſtriæ* Munus ſponte deponentem, Maii 3°. 1736.

MAXIMA pars titulos, & nomina grandia captant:
Hic ſapit; & celſi ponit honoris onus.
Nil extrà quærit; ſatìs eſt ſe celſus in uno:
Et ſpernit phaleras, Sors malefida, tuas.
Illaqueant alios ſplendentia vincula: ſolus,
Qui novit liber vivere, Magnus erit.

Ad Dominum JOHANNEM CARTERET.

SUAVE mel Iſocratis, nervi Demoſthenis inſunt
Verbis; & Periclis fulgur in ore micat.
Quiſque trium propriis excellit dotibus: at tu,
Mel, nervos, fulgur, CARTERET, unus habes.

ELOQUIO præſtant; ſed non genus omnibus unum eſt
Eloquii: propriâ ſinguli in arte valent.
Sed deinceps jactare ſuos tres Græcia ceſſet:
Dat tribus unum illis Anglia noſtra parem.

Ad Honoratum Virum HORATIUM WALPOLE Arm^um.

QUANTUM debeo! Quid tuæ rependam,
Vir clariſſime, liberalitati?
Non ſatìs ratus addidiſſe nomen
Meis nobilibus tuum patronis;

Viginti

Viginti inſuper aureos dediſti.
Aurum das mihi: nil rependo, præter
Conatus metricos ſenis poëtæ.
Δῶρον πάμμεγα, μικκὸν ἀνλίδωρον.
Alexander aquam lubens recepit,
Ipſi quam manus obtulit coloni.
Hos fronte Hendecaſyllabos ſerenâ
Verſus excipe, quâ ſoles clientes:
Inter quos aliquem locum roganti
Indoles tua non mihi negabit,
Quam ſenſi hactenus eſſe tam benignam.
Mea ars quantulacunque literarum
Si conferre queat tuos in uſus
Quicquam; ubi libet, experire: méque
Neminem invenies paratiorem.

In JOANNEM BAPTISTAM GASTALDI, Rei-publicæ Genuenſis Miniſtrum, Artis Muſicæ peritum.

GASTALDUS ſcitè dum fila ſonantia tangit;
In digitis quantus, quantus in ore decor!
Quàm facili ſaliunt per fila canora volatu,
Senſim & eunt, redeunt, abſque labore, manus!
Ars magna eſt celare artem; ſolâque videri
Naturâ duci ſponte, nec arte regi.
Ars eſt *ſerva*, manus quam mercenaria tractat;
Sed fit ab ingenuâ *libera* culta manu.

In ejuſdem cum CARLOTTA CONYERS nuptias.

DOTIBUS egregiis ſimiles, fauſto omine, jungit
Janum & *Carlottam* connubialis amor.
Hoc Numen juſtum donavit utrique, rogare
Quo melius poterant vota utriuſque nihil.

Italia

Italia inſignes tulit, & tulit Anglia fœtus:
Quales & quantos utraque juncta feret!

Ad RICHARDUM ELLYS, Bar^tum, cùm illi meam Picturam, quam rogaverat, mitterem.

PINGERE ſi poſſet, quantùm te in pectore fixi,
Ars; foret hæc oculis digna tabella tuis.
Donum eſt vile hæc vilis imago: ſed tibi viſa eſt
Digna peti; eſt igitur digna tabella dari.

Ad eundem; de ipſius Bibliothecâ.

ANTIQUI Heroes compôſti hìc pace quieſcunt;
Dum quatiunt varias Martia bella plagas.
Tranquillis habitas in ſedibus: omine vero,
Has Ædes Campos dixeris *Elyſias*.
Bibliotheca oculos trahit hinc, *Ellyſius* illinc:
Huic collata illa eſt quantula! Quantus Herus!

Ad eundem; cùm donum mihi miſiſſet.

CUM tua, Vir Dilecte, manus tam larga loquatur,
Anne putas pennam poſſe tacere meam?
Non poſſet Cicero me vincere; penna fuiſſet
Si tam docta mihi, quàm tibi larga manus.
Explicuiſſe animum ſi poſſem, ut ſcripta, legenti;
A te mallem animum, quàm mea ſcripta, legi.

Ad eundem; cùm ei mitterem *Indicem in Annales Typographicos*.

CHARE Eques, indiculum (munus leve) mitto librorum:
Eſt index animi ſed magìs ille mei.
Quid prodeſt librorum index tibi? Sufficit Index
Unus opum, tua quas Bibliotheca capit.

De

De Medicis in Londinenſis Collegii Theatro die D. Lucæ Feſto perorantibus.

ROMA vetus Cicerone ſuo Celſóque ſuperbit;
Mirata in roſtris illius eloquium.
Hujus opem ſenſit medicam: hic fuit arte medendi
Clarus; in arte aliâ vix Cicerone minor.
Hæc roſtra ornârunt quot Celſi, quot Cicerones!
Utrâque antiquis ſinguli in arte pares.

Horatii Umbra JACOBI DUGLASS M. D. Muſeum, in quod perquam multæ Poëtæ illius Editiones convenerunt, inviſens.

ARTE typographicâ cuſúſque & ſæpe recuſus,
Nuſquam habito totus, ſparſus ubique habito.
Bibliopolarum peragravi mille tabernas:
Nulla meos neſcit Bibliotheca libros.
Huc illuc, quò fata trahunt, retrahúntque, vagatus;
Erro per *Elyſios* irrequietus agros.
In variis me præla locis preſſere: ſubivi
Formas omnigenas, omnigenóſque typos.
Hæc his Editio placet, illis altera: cunctis
Ut placeam, vultus induo multiplices.
Hìc, quis chalcographus fuerit mihi, quíſve character,
Nil refert; ſemper *Duglaſio* placeo.
Stator *Duglaſius*, quærens, ubicunque locorum
Spargerer, hìc certum juſſit habere Larem.
Hactenus inſtabilis ſparſúſque recolligor unam
In ſedem: accedunt ordo novúſque nitor.
Nunc juveneſco ſenex: vitam hìc recolendo peractam
Bis vivo; vitâ namque priore fruor.
Sec'la mihi videor tandem poſt multa renaſci.
Qui *Venuſinus* eram, *Duglaſianus* ero.

In

In obitum præmaturum Nobilis Juvenis CAROLI FITZROY, Filii Nobiliſſimi Ducis de GRAFTON.

CAROLUS Angligenûm ſpes creſcens occidit. O quàm
Se ſic deceptam Parca fuiſſe dolet!
Dum numerat, non vitæ annos, ſed mentis adultæ
Dotes eximias, credidit eſſe ſenem.

Ad Amicum Generoſum, qui vini donum miſerat.

INTER inæquales ſors hæc eſt triſtis amicos,
Certare ut nequeat munere utrinque pari.
Optima vina mihi donâſti: dextra, redonet
Quod tibi, nil præter debile carmen habet.
Pignus amicitiæ ſunt Bacchi munera: grati
Quantulacunque animi carmina pignus erunt.
Erubui: cauſam vis ſcire? tuíne vereris,
Ne memor haud fuerim, ni tua vina bibam?

In meum Natalem, 29 Nov.

HAC me luce Parens lachrymoſum miſit in orbem:
Et fletus miſero vox mihi prima fuit.
Sed cùm ſumma dies aderit, fueróque renatus;
Non fletûs utinam cauſa ſit ulla mihi!
Des igitur, te, CHRISTE, ſequi; dum vita ſuperſtat.
Vita[a], opto, *ut* CHRISTUS *ſit mihi, mórſque lucrum.*

ΓΕΡΩΝ μὰν εἰμι· καὶμοὶ
Χρόνῳ πλέων ὄλωλε·
Χρόνον δ' ἐμῆς τελευτῆς
Οὐκ[b] οἶδα· τοῦτο δ' οἶδα,
Ὡς τᾷ γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τ' ἄνω φρονῆσαι
(Τ' ἄνω φρονεῖν γὰ ἡμᾶς
Ἀπόστολος[c] κελεύει)
Ὅσῳ πέλας τὸ θνήσκειν.

[a] Philip. I. 21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, ΧΡΙΣΤΟΣ· καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος. [b] Anacreont. Od. ii. ℣ 8. [c] Coloſſ. iii. 2.

In meam Imaginem juſſu Ducis RUTLANDIÆ pictam.

VITÆ egi genus obſcurúmque & inutile: viſa eſt
Spongia, quàm calamus, me decuiſſe magis.
An quia *Rutlandus* lare me mensâque benignè
Dignatur, pingi me meruiſſe putem?
Dat meritum immeritis Magnatum gratia: pingor,
Ut ſtet apud memores gratia tanta Ducis.

Ad Pictorem.

IMPENDIS fruſtra tempus, fruſtráque colores
Hìc; ubi nil, pingi quod mereatur, adeſt.
Nil ſpecioſum habet hic vultus, dignúmque videri:
Mens heu! perpaucas poſſidet intus opes.
Eſto memor, quâ cretus homo ſit origine, Pictor:
Et, ſi vis ſimilem pingere, pinge lutum.

In JOSEPHUM KELWAY, Organi tangendi ſcientiſſimum.

MERCURII plantis, humeríſque Cupidinis alas
Mythologi fingunt attribuiſſe deos.
Altiùs ut penetret ſonus & velociùs aures,
His alas digitis credo dediſſe Deum.

Ad GULIELMUM STUKELEY, M. D. in ISAACI NEWTON Equitis imaginem.

NEWTONI vultum expreſſit tua linea: mentem
Expreſſiſſe viri linea nulla poteſt.

In

In PLATONIS imaginem.

QUALIS in auguſto gravitas ſedet ore *Platonis!*
Barbam deme; * Comes Pembrochianus erit.

In STUKELEIANAS Antiquitates.

DEPERDITORUM reſtitutor temporum,
Antiquitatis in tenebris abditæ
Scrutator audax, arte quàm mirâ valet!
Retegit, vetuſtum quicquid obſcuro ſinu
Abſcondit ævum. Tempus, hic aciem tuæ
Falcis retundit invidæ; fruſtra omnia
Comples ruinis: jam tuæ pereunt minæ;
Ipſæ perire nam ruinæ neſciunt.

Ex Anglicâ quâdam jocoſiore & acerbiore Cantilenâ.

ORPHEUS Eurydicen repetens deſcendit ad umbras:
Mulcet & infernos voce lyrâque deos.
Stulte, maritali cur porrigere ora capiſtro
Bis cupis, atque jugum connubiale pati?
Orpheu, Pluto inquit, proprio damnabere voto:
Eurydicen repetis; redditur Eurydice.
Reddita non merces Lyrici modulaminis uxor
Eſt; ſed ſtultitiæ debita pœna tuæ.

Cui hæc ſubjicio;

Videtur is fœlix maritus, nuptiæ
Cui ſorte tales contigerunt; ut pares
Non ſperet, aut fœliciores alteras.

* Jamdudum defunctus.

In Marmoreum RICHARDI BUSBY S.T.P. clariſſimi olim Scholæ Regiæ Weſtmonaſterienſis Archididaſcali Monumentum in Collegiatâ ibidem Eccleſiâ poſitum.

BUSBEII æternum vivet ſinè marmore Nomen:
Semper in hôc Vultus marmore vivus erit.

In RICHARDI MEAD M. D. imaginem à *Gothofredo Kneller* Equite pictam.

PINGITUR hìc *Medus*; *Knellerus* amicus amicum
Pinxit: uterque artis gloria prima ſuæ.
Knellerum tangit meritorum gratia; *Mede*,
Tu vitam ſervas illius, ille tuam.
Mortem alii metuant: invitâ morte, vetabit
Pictorem & Medicum picta Tabella mori.

ΚΝΕΛΛΗΡΟΣ Μήδ᾽ τήν δ᾽ εἰκόνα γεφάψεν· Ἀπελλῆς
Οὐκ ἄλλως γεφάψαι ἤθελεν Ἱπποκράτη.

In Cantilenas ineptas, ſed modulis μυσικωτάτοις decantatas.

VOX ſenſûs expers umbra eſt ſinè corpore: in aures
Ocyùs ingreſſa eſt; ocyùs egreditur.
Dum cantillat avis, bibulæ modulamina captant
Aures; ſed quid mens captat? inane nihil.

Comitis

Comitis de BONNEVAL ab Imperatore *Germano* ad *Turcam* deficientis verba.

NON iræ Auſtriaci me ſubduxiſſe Tyranni
Sufficit, & vitæ conſuluiſſe meæ.
Pectus vindictæ ſitis inſatiabilis urit:
Mors vitâ eſt potior, donec inultus ero.
Vindictam ut ſatiem, pretio quocunque paciſcar:
Do tibi, Turca, animam; plus dare nemo poteſt.

Ex * Gallicis BREBEUFII verſibus, in LUCANI *Pharſaliâ*.

In CADMUM.

HIC fuit inventor præclaræ callidus artis;
Quæ docet affarique oculos, & pingere vocem:
Pérque figurarum vario diſcrimina ductu
Internis corpus dat ſenſibus atque colorem.

Alio metrorum genere.

Quot dignus eſt hic laudibus artifex;
Linguæ fugaces qui potuit ſonos
Depingere, &, mutis ſtupentes
Alloquiis oculos morari!

Qui per figuras ordine lucido
Miróque tractu diſpoſitas dedit
Latentibus mentis colorem
Senſibus, exteriúſque corpus.

* C'eſt de luy, que nous vient cet art ingenieux
De peindre la parole, & de parler aux yeux:
Et par des traits divers de figures tracées
Donner de la couleur & du corps aux penſées.

HANS-SLOANIUS Bar^tus. Naturæ Stator.

In opulentiſſimum illius Κειμηλιάρχιον.

OMNIPARENS Natura operum miracula, cunctis
Gentibus haud eadem, ſed ſua cuique dedit.
At quos theſauros ſparſit natura per orbem,
Stare, uno & juſſit *Sloanius* eſſe loco.

In ABDALONYMUM.

FERTUR *Alexander* regnum donâſſe colono;
Exiguus ſolæ cui fuit hortus opes.
Neſcis, hæc quanti conſtent tibi dona, colone;
Quæ moles humeris ſit ſubeunda tuis.
Diſce, quod ignoras; ſolium conſcende: videbis,
Quàm levior ſceptro eſt, *Abdalonyme*, ligo.

Ex Græcis.

Antholog. *lib. cap.* 22. Ἀνδροφόνῳ, *&c.*

SUB muro dormit dum putri homicida, Serapis
Huic fuit in ſomnis viſus adeſſe deus.
Surge, inquit, miſer: inque alio citò carpere ſomnos
Feſtina, tutus ſi cupis eſſe, loco.
Hic ſurgens migrat: murúſque repentè ruinam,
Sub quo decubuit, dat reſupinus humi.
Diis ratus acceptos homicidas improbus eſſe,
Manè orto, fecit diis ſacra multa pius.
Dixit at huic adſtans iterum ſub nocte Serapis;
Me curare malos, furcifer, ánne putas?
Te morti eripui leni expertique doloris;
Ut ſubeas, quam ſcis te meruiſſe, crucem.

Lib.

Lib. ii. Cap. 22. Ἰητήρ τις ἐμοὶ, &c.

DILECTUM medicus natum mihi tradidit, ut res
Has à me poſſet diſcere grammaticas.
Poſtquam, *iram canta, atque induxit mille dolores,*
Edidicit; verſum quémque dat ordo ſequens.
Permultas fortes animas præmiſit ad Orcum;
Non hunc, ut diſcat plura, redire ſinit.
Me pater aſpiciens, tibi gratia, dixit, amice:
Hæc ſed me poterit ſcire docente puer.
Permultas animas ſoleo præmittere ad orcum
Ipſe; & ad hoc opus eſt non mihi grammatico.

Lib. iii. Cap. 5. Αἴλιος ὁ θρασύχειρ, &c.

ÆLIUS in bellis nulli virtute ſecundus,
Cinxerat & cùjus laurea ſæpe caput;
Tabifico implicitus morbo, memorique revolvens
Mente manûs olim fortia facta ſuæ;
Intrepidus ferro trajecit viſcera: & inquit;
Mars fortes perimit, morbus iners timidos.

Lib. i. Cap. 56. Γειατρότης Ἄρχιππος, &c.

AGRICOLA *Archippus* cùm morbo preſſus, & efflans
Mox animam, ad Stygias eſſet iturus aquas;
Hæc dixit natis: *ô Pignora chara, ligonem*
Diligite; *atque colat veſter aratra labor.*
Fallacis ponti vitate pericula; *nec vos*
Errandi inſanus per freta tentet amor.
Dulcior eſt quanto mater dilecta novercâ;
Tellus eſt tanto dulcior alma mari.

Lib.

Lib. i. Cap. 13. Ποίην τις, &c.

QUEM vitæ teneas callem? Nam cuncta moleſtis
Sunt fora litigiis plena: domíque graves
Curæ adſunt; & rure labor; ſuper æquore ſævo
Mille pericla; metus, ſiquid habes peregre.
Paupertas, triſtis; vita anxia, vita mariti;
Si malis cœlebs vivere, ſolus eris.
Nati ſollicitant; ſinè natis orbus haberis:
Mente juventa caret, robore canities.
Alterutrum ergo velis; aut nunquam in luminis auras
Veniſſe; aut veniens, morte repentè frui.

Παντοίην βιότοιο, &c.

QUOD mavis, vitæ genus excole: curia famam
Prudentis poterit conciliare: domi
Tuta quies; in agris naturæ gratia: lucrum
Dat mare; laudaris, ſiquid habes peregre.
Pauper es; id ſolus nôſti. Cum conjuge vivas;
Grata domus; careas conjuge, cura minor.
Gaudia dant nati; vives minùs anxius, orbus.
Dos propria eſt juvenum vis, pietáſque ſenum.
Cur cupis eſſe ortus nunquam, aut obiiſſe repenté?
Vita tibi fœlix quælibet eſſe poteſt.

Lib. vii. Πέμπω σοι, Ῥοδόκλεια, &c.

ANACREONTICIS verſibus redditur.

ΤΑ΄ΔΕ δρέψ' ἐμῇσιν ἄνθη
Παλάμαις· σέφος τε πλέξας,
Ῥοδόκλεια, σοι δίδωμι.
Ῥοδέη κάλυξ πάρεσι,
Κυανῆν ἴον, κρίνον τε·
Ἀνεμώνη, ἤδε νάρκισ-
σος, ὑγροὶ πάρεισιν ἄμφω.
Σὺ δ' ὅταν σέφεις κάρηνον,
Μεγάλαυχος ἔσα λῆξον·
Στέφανος γὰρ ὥσπερ ἀνθεῖς,
Στέφανός τε κὴ σὺ λήγεις.

Futu-

Futurum cras fuge quærere.

ANXIUS eventus optas dum ſcire futuros,
Te trahit ancipitem ſpes, retrahítque timor.
Venturam inquirens, præſentem negligis horam:
Nónne hoc eſt, rarò vivere, ſæpe mori?

Ad JOANNEM JACOBUM ZAMBONI, Landgravii de Heſſe-Caſſel-Darmſtadt Legatum. Jun. 15, 1738.

SERMONIS cultor, *Zamboni* docte, Latini;
En tibi amicitiæ teſſera parva meæ.
Teſſerula hæc potiùs debet, quàm teſſera, dici;
Et fateor: largum eſt cor mihi, curta manus.
Siqua fides famæ, nux olim incluſit Homerum:
Claudere quanta eſt ars in nuce Mæonidem!
Dicite, Philoſophi; implicitum hunc mihi ſolvite nodum:
Contentâ rès, quæ continet, éſtne minor?
Explicat anguſta hæc grandem tibi pagina Plautum:
Pagina quid majus grandis habere poteſt?

Ad eundem.

QUI vitam cupit * ampliare, nullum
Permittit ſibi tempus otiari.
Hujus nemo magìs peritus artis
Te, docte arbiter elegantiarum,
Doctrinæque potens politioris.
Nam ſiquid tibi temporis vacivi
Cura publica det negotiorum,
Te curæ ſubeunt amœniores:
Negligénſque, quid hìc foríſve paſſim
Orbis in variis geratur oris;
Authores relegis prioris ævi,
Pacatæ ſtudia excolens Minervæ.

* Martial. lib. x. Epig. 23. ver. 7.

Ad normam veterum ſtylum refingis;
Nec alter propiùs ſcit æmulari
Illorum geniúmque vímque; ſenſum
Nec ſagaciùs aſſequi: tibi non
Eſt vernacula notior Latinâ.
Aptas ſenſibus invenire voces
Calles; eligere, & locare lectas.
Non, donec mihi te frui licebit,
Deſpero fore me Latiniorem.
Vis hóſce verſus ſupprimi? ſed non ſinam
Tuam impetrare, quod petit, modeſtiam:
Quæ cum viris doctis tibi communis eſt.
Nam quò quis doctior eſt, eò eſt modeſtior.
Palàm proferre, quod ſcio, meâ intereſt:
Sit, nécne, verum, qui te nôrunt, judicent.

Ad eundem; a quo chirothecarum pellitarum munus acceperam.

PAR *cherothecarum das, Vir chariſſime; poſſint
Ne tentare manus frigora ſæva meas.
O utinam poſſes illam dare, ſcribere cujus
Ductu tam lepidè ſcit tua penna, manum!

Ad JOANNEM HOLLAND M. D. à quo GALENI Opera Græcè (*Baſil.* 1538, folio) dono acceperam, Jun. 10, 1728.

GALENE, gentis Pergamenæ gloria;
Galene, Coo proximum nomen ſenì;
Galene, amici munus acceptiſſimum;
Accede grande cellulis auctarium:
Meíque paucos incolas muſeoli
Ne fronte ſpernas aſperâ; non copiâ,

* Χεὶρ enim χειρὸς & χερός.

Sed

Sed eruditione libros æſtimo;
Quales amicos opto paucos & bonos.
Quos inter & tu non recuſas inſeri,
Hollande; ſunt & *Halus*, atque *Hollinſius*,
Et *Freindus*, artis principes medicæ: quibus
Poſſim modò placere; cui placeam minùs,
Mihi nulla pectus cura ſollicitum tenet.
Sed quale munus erudito muneri
Tuo rependam, *Hollande?* Amorem; quo nihil
Conſtat minoris, nil poteſt majus dari.

De RICHARDI ELLYSS Bar^ti. Bibliothecâ; cùm ab eâ ipſe abeſſet.

VIRI bibliotheca literati,
Viro jam viduata literato,
Flet deſerta: libri carent lepore;
Nervis muta chelys velut remiſſis.
Viro ſed redeunte literato,
Et volvente libros manu diſertâ,
Reſument ſolitum libri leporem;
Nervis læta chelys velut citatis.
Nitorem ſolitum ſuum reſumet
Viri bibliotheca literati.

Ad RUTLANDIÆ Ducem; cui RICHARDUS ELLYSS Bar^tus. Horatium (nitidiſſimè in 16°. *Pariſiis* excuſum) dono dederat.

ELLYSII dono nitor eſt & gratia parvo:
Qui, non mole, libros utilitate probat.
Corporis * exigui Flaccus fuit: Ellyſiúſque
Dat tibi, *Dux*, formâ Flacci opus exiguâ.

* Horat. lib. i. Epiſt. 20. ver. 24.

Ad ingenioſam Conjugem GODOFREDI COPLEY Arm^ri. quæ meam imaginem coloribus in vitro ductis expreſſit.

VITREA quem pictura refert, ſum debilis annis:
Atque meam frontem ruga ſenilis arat.
Quantus at in vitro decor eſt! vis quanta colorum
Fulget! in hôc juvenem ſe videt ore ſenex.
Pictus eram invitus: dare ſi potuiſſet honorem
Hunc pictor, poſſem ſic placuiſſe mihi.
Artem pictorum hæc ſuperat pictura, refingunt
Quam digiti artifices, ingenioſa, tui.
Arte tuâ vitrum fiet pretioſius, ipſum
Æs quàm Lyſippi, Phidiacum vel ebur.
Hæc index artis vivet pictura, meúmque
Nomen; Apelleum cùm morietur opus.
Sed ſape; & incaſſum tibi plaudere deſine; faſtus,
O delire ſenex, ponere diſce tuos.
Te tua, quæ fragili in vitro formatur, imago,
Quàm vitro ſimilis ſis, meminiſſe jubet.

In RICHARDUM ELLYSS Bar^tum.

MORTE carent animæ: ſeſe in nova corpora ſemper
Inſinuant, vitam perpetuando ſuam.
Pythagoræ exemplo haud opus eſt; nam tempore noſtro
* *Checi* anima in doctum tranſiit *Ellyſium*.

In Bibliothecam JACOBI DORMER Στρατηγῦ CLEMENTI COTTEREL Bar^ri. ab ipſo legatam.

SACRATA hæc Muſis Ædes complectitur una,
Roma potens quot opes, culta quot Hellas habet.
Dormerus ſolers operam dare utrique Minervæ,
Et verſare libros, quâ gerit arma, manu;

* Joannes Checus Eques Literarum peritiſſimus, Edvardi VI. Præceptor.

Magno

Magno has congeſſit ſumptu, vigilíque labore:
  Belli operi ut poſſet jungere pacis opus.
Proximus hic morti metuit, ne fortè perirent
  Raræ hæ, ſi paſſim diſtraherentur, opes.
Adſtitit huic Pallas, quo præſidet artibus ore:
  Audi, ait, *atque iſto pectora ſolve metu.*
Bibliotheca ſuum mox amiſſura parentem
  Tranſeat ad dignum ſéque libríſque virum.
Quære ergo inprimis doctum, uti munere docto
  Qui ſciat: Is Clemens, *ſi mihi credis, erit.*
Hôc non eſſe poteſt Clementi *acceptius ullum*
  Munus; *& hôc nemo dignior eſſe poteſt.*

Calendæ Januariæ, 174½.

Ad Nobiliſſimum RUTLANDIÆ Ducem.

MOS à vetuſtâ ductus origine
  Hortatur, annus cùm renovat ſuas
    Vices, amicis gratulari
      Alloquiis bene * ominatis.

Dimetiuntur cardinis annui
Conſtanter orbem † tempora quatuor:
  Noſtræque ſic vitæ ‡ quaternis
    Limitibus numeratur ætas.

Feſtiva lux eſt, quæ dederat prior
Vitalis auræ munera: ſic quoque,
  Imago natalis diei,
    Prima dies celebratur anni.

Clarus Calendas, Jane bifrons, tuas
Cibberus odâ commemorat: gravi
  Cujus per audaces fragore
    Verba ruunt nova * dithyrambos.

* Lege priùs pag. 49. ver. 10. † Ver, æſtas, autumnus, hyems. ‡ Pueritia, juventus, ætas virilis, ſenectus. * Sic Pindarus. Horat. Lib. iv. Od. 2. ver. 10, 11.

Non

Non ipſe Flaccus fervidior; neque
Quiſquam poëtis ex popularibus,
Apollinari cujus unquam
Frons nituit redimita lauro.

Infirmiores me prohibent meæ
Vires in altum tendere: non tamen,
Rutlande, ſpernes, quam tibi offert
Odam humilis tenuem Camœna.

Diu eſto ſalvus; cum valido tibi
Mens ſana perſtet corpore: plurimas
Vitæ tuæ & Jani calendas,
Det DEUS, ut numerare poſſis.

Ad RICHARDUM ELLYSS Bar^tum.

CLAVIGER Janus reparator anni;
Quo ſuum claudit moderante curſum,
Rurſum & orditur revolutus in ſe,
Menſtruus ordo;
Tempus humanæ reparare vitæ
Neſcit exactum; ſpatiúmque lapſi
Non poteſt ævi redimi; moræ expers
Meta propinquat.
* Summa nos vitæ brevis inchoare
Spem vetat longam. Quid enim expetendum?
Anne ut in primam redeat juventam ef-
fœta ſenectus?
Annuæ tempus mihi quæ calendæ
Prorogant vitale, monent; meíque
Nunciant nunc eſſe propinquiorem
Funeris horam.

* Horat. lib. 1. Od. iv. ver. 15.

Quan-

Quantula, heu! vitæ ſupereſt miſellæ
Portio! quantum periit, recordor.
Quando prudenter redimam meorum
Damna dierum?
Salve, amicorum Coryphæe: cujus
Fretus exemplo monitiſque ductus,
Lubrico quid ſit ſapienter uti
Tempore, diſco.
Sit valetudo tibi tuta: clemens
Numen aut tollat, minuátve diros,
Quos poteſt nemo patientiùs per-
ferre, dolores.
Cui valent vires animi; facultas
Mira res cunctas bene judicandi;
Sana cui mens eſt, precor, ut fruaris
Corpore ſano.
Det DEUS, quicquid probitas meretur,
Quicquid optatis, tibi conjugíque
Optimæ, & veſtris: potiárque vobis
Semper amicis.

Ad Nobilem virum JOHANNEM CARTERET.

* Στεφανηφόροιο, ϗ Πινδαροεικέλυ ἀοιδᾶ
Σθένος ὐκ ἔχω· ἐκεῖνος
Ἀμέτροισι † διθυράμβοις,
Μετὰ ῥημάτων ‡ ἀτάκτων,
Πολυηχέοστε ῥοίζυ,
Κελαδεῖ Γεοργίοιο
Ὄνομα, κλέος, κράτοστε,
Ἀρετὴν, σοφὸν φρόνημα.
Εἰ ἔχειν δ' Ὁμήρυ ὕψος
Ἐπικοῖσιν ἐν ποιηταῖς
Προέδρυ τε ϗ χορηγᾶ·
Εἰ ἔχειν Ἀνακρέοντος
Μελιγλώσσυ ἡδυφώνυ
Γλυκὺ βάρβιτον δυναίμην·
Χέλυν ἢὲ Πινδάροιο
Ἐναγωνίοις ἑορταῖς
Στεφανυμένυς μαχητὰς

* Laureati poëtæ. † Horat. in Pindar. lib. iv. Od. 2. ver. 10, ‡ 11, 12.

Πυκινῶς

Πυκινῶς ἐπαινέοντος·
Βασιλῆας ὀ θέλοιμι
Λεγέμεν Γεςγιόν τε.
Πολὺ βέλομαι κλείζειν
(Φιλόβιβλος ὃς μάλ' ἐςὶ,
Φιλόμυσος, ἢ φιλέλλην,
Φιλόφρωντε)ΚΑΡΤΈΡΕΤΤΟΝ.
Πυλίῳ ἴσος Γέροντι
Προχέει λιγεῖαν ἀυδήν·
Λαλέοντος ἡδὲ Πειθῶ
Ἐπὶ χείλεσιν κάθηται.
Θεὸς ἵλεως διδοίη
Χαρίεντι ΚΑΡΤΕΡΕΤΤΩι,
Γενέειτε ΚΑΡΤΕΡΕΤΤΟΥ,
Ἀσινῆ, ἀνώδυνον, κῆ
Πολυήμερον βιῶναι.

Ad RUTLANDIÆ Ducem, Octob. 21, 1741.

VITÆ Calendas ut recolat tuæ,
Dux, Muſa ſeſe ſuſcitat: & diem
Ter ſeptimum Octobris ſalutans,
Sæpius ut redeat, precatur.

* Idus, marinæ quæ Veneris ſecant
Menſem, patronum ſanctiùs ob ſuum
Horatius ſolenniúſve
Non potuit celebrare vates.

Flacco patronum haud invideo ſuum:
Minor Patronus non mihi contigit;
Quo literarum non amore
Tuſcus eques, neque ſtirpe, major.

Deſideratur, qui valeat tuum
In aſtra nomen † tollere laudibus,
Poëta; vel † Dirces olor, vel
Qualis erat ‡ Venuſinus ales.

Muſæ ſenilis carminibus licèt·
Deſit juventæ flamma; tamen, tibi
Quo nemo habet devinctiorem,
Reſpicies animum poetæ.

* Horat. lib. iv. Od. 11. ver. 15. † Lib. iv. Od. 2. ver. 25. † Ver. 25.
‡ Lib. ii. Satyr. 1. ver. 35.

Bellona

Bellona paſſim ſævit; & impius
Ubique Mars circumſonat: & ſcatet
Cruore tota Europa; nec pars
Ulla caret miſeranda luctu.

Ruſſi Süevos in Borealibus
Plagis laceſſunt: diſtrahitur ſuas
Germania inter nationes
Auſtriacas, Bavaráſque, Pruſſas.

Inter tumultus inſula publicos
Stet noſtra: ſemper ſtet, precor: exteræ
Gentes licèt deprœlientur,
Salva ſit in mediis procellis.

Fruatur intus pace Britannia;
Sit factionum ſeditionibus
Divulſa nullis: cæca, vix eſt,
Cur timeat * aliunde fata.

Sed hæc quid, ad me quæ nihil attinent,
Tractare tentem? Is, cui fuit unico
Commiſſa rerum publicarum
Cura, obeat bene grande munus.

Beatiorem † rege libraria
Me cella claudit: ſollicitum tenet
Me nil magìs, *Dux*, quàm ſalutem
Cura tibi atque tuis precandi.

Tumultuentur vel populi forìs,
Domíve cives. Aſſideat tibi
Tranquilla Pax; Fauſtitáſque
Alma tuos foveat penates.

* Horat. lib. ii. Od. 13. ver. 16. † Lib. i. Satyr. 3. ver. 142.

Vitam moleſtæ ſollicitudines
Nunquam inquietent; perſtet at integrâ
Cum mente ſanum corpus: ac ſit
Sera tibi & viridis ſenectus.

Tuis idem opto, quod tibi, poſteris.
Tuum, oro, nomen nobile ſæculis
Cunctis coævum ſtet; nec unquam
Mannerium decus exoleſcat.

Poſtrid. Cal. Jan. 174½ Dies Natalis Marchionis de GRANBY, nunc annos viginti et unum nati.

GRANBEIE, clarâ nate ab origine;
Degenti in oris nunc procul exteris
Mitto ſalutem; gratulórque
Gaudia, quæ Tibi Janus affert.

Hâc luce natum te minor extulit
Ætas: eâdem, non minor ampliùs,
Accedis ad maturiorem:
Quæ, precor, ut diuturna perſtet.

Dum creſcit ætas, creſcit onus: tibi
Privata nato contigerat priùs
Sors: at memento; publicis nunc
Rebus es, & patriæ renatus.

Ad RICHARDUM ELLYSS Bar^tum^. à quo novum Candelabri genus dono acceperam.

SENSIBUS inducit nubem inclinata ſenectus:
Nóxque fores animæ claudit opaca meæ.
Caligant hebetes oculi, fallúntque legentem.
Heu! utinam mea mens non tenebroſa foret!

Optime

Optime amicorum, geminæ me lucis egentem
Tu relevas; geminam fers mihi promptus opem.
Das * lychnuchum oculis: at, quæ mihi gratia major,
Mentem etiam alloquiis irradiare ſoles.
Pergimus indefeſſi ambo contendere donis
Diſparibus: tu das maxima, ego minima.
Nunquam victus ero; te nugis uſque laceſſam:
Dum dicas tandem victus, ohe, ſatìs eſt.
Muneribus victo mihi quid niſi vota ſuperſunt?
Vota pia ingentis muneris inſtar erunt.
† Lux det INACCESSA, hôc acto fœliciter ævo,
Æternâ ut poſſis denique luce frui.

Ejuſdem 21 Febr. 174½ defuncti deſiderium.

DESEROR: & charo deinceps cariturus amico,
Ævi quod ſupereſt, exulis inſtar agam.
Abſtulit hinc abiens ſecum mea gaudia: & orbis
Hujus non deinceps civis, at hoſpes ero.
Mens, *Ellyſſe*, tui deſiderio icta, dolorem
Suſtineat, neſcit, quâ ratione ſuum.
Tentarem fruſtra dilectum pectore nomen
Eximere; ut poſſem ſic doluiſſe minús.
Semper ubique mihi occurrit tua dulcis imago:
Nec volo, nec poſſum non memor eſſe tui.
Nec doluiſſe piget: quædam eſt doluiſſe voluptas;
Ipſe ad me revocat te, recolítque dolor.
Nos unà junxit ſtudiorum mutuus ardor:
Idem amor auctorum nos tenuit veterum.
Quàm placuit tecum utiliter traducere tempus,
Sentire & lentæ tædia nulla moræ!

* Λυχνῦχος. † 1 Joh. i. 5. Ὁ θεὸς φῶς ἐστι. 1 Tim. vi. 6. Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον.

Te vivo, priſcum rediiſſe videbar in ævum;
Et cum Romulidis Cecropidíſque loqui.
Non tantùm ſcriptis opera eſt data tota prophanis:
Non caruit ſtudio pagina ſacra ſuo.
Hâc etiam quantum critices in claſſe valeres;
* *Fortuitæ* evincunt *in loca ſacra Notæ.*
Umbra, vale, dilecta: vale, venerabilis Umbra;
Umbrarum ordinibus nunc ſociata piis.
Te, licèt ereptam mihi, mens memor uſque ſequetur;
Delicias animæ dimidiúmque meæ.
Virtutis rarum exemplar morúmque tuorum
Præſens, quanquam abſis corpore, ſemper erit.
Ad normam hanc poſſim ſi me componere; ſummum
Spe cœli certâ fretus obibo diem.

Ad Nobilem virum Dnum. JOHANNEM CARTERET, Primarium Regni Secretarium.

NUPER ſilente nocte
Anacreontis Umbra
A ſedibus quietis
(Quas incolunt vetuſti
Ex Græciâ diſertâ
Heroes literati,
Humana vincla poſtquam
Vitâ functi exuerunt)
Miſſa adſtitit: Tibíque
Hunc ſupplicem libellum,
Cum plurimâ ſalute
Et gratulatione,
Mandavit, ut remittam.
Tuum (ſpero) clientem
Importunum haud putabis;
Si chartam epiſtolarem
Tibi, quantumlibet nunc
Valde negotioſo,
Dem, cùm vacet, legendam.
Jam mandata executus,
Quæ Manes eruditæ
Olim Hellados magiſtri
Ferenda tradiderunt;
Tibíque comprecatus,
Quicquid boni mereris,
Dicto vale, recedo.

* Fortuita Sacra, Roterod. 1727. 8°.

Τῆς Ἑλληνικῆς ἐν Ἠλυσίοις ἄλσεσι Γερουσίας πρὸς τὸν ἐνδοξότατον ἄνδρα Κύριον Ἰωάννην ΚΑΡΤΕΡΕΤ.

ΗΜΕΙΣ ὑπογεγραφέναι
Ἑλληνικοὶ φυλάρχαι,
Ἔνερθεν οἰκέοντες,
Πανδημίοις ἑορταῖς
Πανηγύρεις ἄγοντες,
Βωμήν τε ξυμβαλόντες,
Ψηφισάμεθα πέμπειν,
Κρήτισε ΚΑΡΤΕΡΕΤΤΕ,
Κοινὴν δέησιν ἡμῶν.
Γήθως πλέοι χαρᾶς τε
Τὴν τιμήν, ἣν λέλογχας,
Ἧς ἄξιόν τιν' ἄλλον
Οὐκ ἔστιν ἀρεθῆναι,
Ἡγεῖτ' ἂν ἡ ταχεῖα
Καλῶν ἄτοις τόποισι
Φήμη, ἅπαντες ἴδμεν.
Νήσοισιν ἐν Βρεττάνναις,
Πάλαι ἤνεγκε γλῶτα
Ἑλληνικὴ ἐρασθὰς
Πολλῶς, ἔπειτα παυρός.
Τελευταῖον δ' ἄμυσος
Ἄγνοια παντὸς' ἔρπει.
Πόθον διδασκαλίης,
Καὶ γραμμάτων ἔρωτα
Καλῶν, φιλαρετείη,
Ἀσωλίη, δόλοι τε,
Καὶ τεχναὶ αἰσχρηκέδεις
Ἀφ' ὑμῶν ἐκβέβληκαν.
Σοὶ δ' ἄλλα, Πανάρετε,
Προσευχόμεθ' ἅπαντες·
(Φίλοις γὰρ ἐστὶ μύσαις,
Καλαῖς τεχνήσιν εὖνις)
Δυσὶν ἀρχὴν κραλήσας,
(Ἀρχὴ δείκνυσιν ἄνδρα)
Ἃς ποιῶμεν, δέησις
Δικαίας ἐκπελέσαι.
Παλινδρομεῖν κέλευε
Πόθον διδασκαλίης,
Καὶ γραμμάτων ἔρωτα·
Κακῶν ἄπειρε τεχνῶν,
Καὶ παυλοίης ἀνοίας
Ῥῦσαι τὸν σεῖο πάτραν.

Ὅμηρος, Πλάτων· ἄρχοντες.
Πίνδαρος, Θεόκριτος· ἀοιδοί.
Ἡρόδοτος, Θουκυδίδης· συγγραφεῖς.
Δημοσθένης, Λυσίας· νομοφύλακες.
Ἀνακρέων· ἄγγελος.
Καὶ λοιποὶ σύμπαντες βιβλιοθήκης πάρεδροι.

Ad eundem.

MEA ad metam tandem pervenerunt SENILIA: neque à ſuâ longè abeſt ſenilis iſtorum ſcriptor. Cogitatio igitur in ea potiſſimùm ſtudia, quæ vitæ ad exitum vergenti habentur maximè neceſſaria, penitus conferenda eſt. Oportet nunc receptui canere. Huic ſanè ætati fuiſſet convenientius, jam pridem illam juvenilem poëſeos, cui eleganter ornandæ par nunquam fuit imbecilla mei ingenioli facultas, provinciam detrectâſſe, quàm Muſas invitas ridiculo irritóque conamine ſollicitâſſe. Leviculis itaque híſce, utcunque innocuis, luſibus, quibus aliquot vacantes ſubinde temporis particulas dedi, Colophonem denique lubens impono. Aliud autem nihilominus reſtat, neutiquam omittendum; cui explendo cùm non ſufficiam, finem ullum, dum vivo, ſtatuere iniquum duxi: grati ſcilicet animi officium; quo nemo, qui à ſe humani nihil alienum putat, non ſentit ſe iis, qui de ipſo bene meruerunt, arctiſſimo religioſæ neceſſitudinis vinculo adſtringi. Sentio equidem, ſentio, VIR NOBILISSIME, quàm egregiè de me meritus fueris; quot luculentis tuæ pronæ erga me meáque ſtudia voluntatis pignoribus ad omnimoda grati animi officia tibi rependenda me devinxeris. Mihi ergo impensè gratulor; quòd nunc detur, ubi palàm agnoſcam, quantis me beneficiis cumulaveris. Non enim ſatìs tibi viſum eſt, SENILIBUS meis tuum indulſiſſe patrocinium, niſi complures etiam ex viris primariis conciliares patronos. Quî vel auſus fuiſſem cauſam debilem orare, vel ſperâſſem me, quod oro, impetraturum; niſi potens Orator meas partes ultro ſuſcepiſſet? Tua porrò tantò magìs ſpectatur benevolentia; quòd in exilibus hujuſmodi exercitationibus & in ignobili harum auctore ineſſet nihil, tuâ tantâ commendatione dignum. At gaudes, Generoſe Literarum Fautor ad benefaciendum ſemper paratiſſime, egentibus aliunde præſidii adjumentíque motu ſpontaneo ſubvenire; timidiores ſuíſque viribus diffiſos animare, erigere, hortari. Scis, qualem me finxerit natura: verecundum; malentem modeſtè me ſubducere, quàm confidentiùs obtrudere;

poten-

potentiorum gratiam importuniori efflagitatione ambire, eorúmque limina frequentare nunquam aſſuetum; reverentiæ tamen viris ordine locóve vel aliâ quâvis dignitate eminentibus debitæ, ſinè ullo aſſentationis fuco, obſervantem; fari, quæ ſentiam, liberè, ubi tempus & venia datur, haud dubitantem; cautum, quantum in me eſt, neminem offendere; conditionis privatæ, nec tamen otioſæ, amantem, à publicâ negotiosâ alienum; honeſti rectíque & æqui, abſque partium ſtudio, tenaciſſimum. Hanc ſolidæ mentis indolem, hos mores, hanc ſtatûs tranquilli mediocritatem, hoc vitæ * *per tacitum fluentis* genus, mihi uſque conſtans, retinui: cúmque in occulto me plurimùm continens multis innoteſcere neque potuerim, nec ſtuduerim, magnam non licuit comparare amicorum copiam. Te autem fauſto omine ſum tandem nactus penè ſolum; qui, tanquam amicum ſidus meæ ſolitudini affulgens, ſponte dignaris me ex umbrâ in apricum producere, è latebris tenebríſque in lucem inſperatam conatus promovere literarios, & ab interitu per Tuum, cujus ſæpe mentio in iis fit honorifica, Nomen vindicare.

Vale, VIR PRÆSTANTISSIME. Te diu ſoſpitet DEUS OPT. MAX. ſummum tuæ patriæ columen & ornamentum: méque, quem plurimis hactenus beneficiis obligâſti, patiaris deinceps tuorum clientium albo adſcribi. 1742. Prid. Cal. April.

* Senec. Thyeſt. ver. 395.

FINIS.

BRITISH MUSEUM

HUIC EDITIONI FINEM IMPOSUIT *GULIELMUS BOWYER*, TYPOGRAPHUS *LONDINENSIS*, ANNO DOMINI MILLESIMO SEPTINGENTESIMO QUADRAGESIMO SECUNDO: IDIBUS APRILIBUS.